Noli abuti libertate.

ANNOTA
TIONES IO. BVGENHAGII POmerani in epistolas Pauli ad

Galatas,

Ephesios,

Philippenses,

Colossenses,

Thessalonicenses primam & secundam,

Timotheum primã & secundam,

Titum,

Philemonem,

Hebræos.

Ab ipso autore nuper recognitæ.



3

IOANNES BVGENhagius Pomeranus Lectori.



Oni consulas uelim optime Lector, quòd breuiusculas annotationes accipis in sacras quasdã epistolas, nempe Pauli ad Galatas & reliquas oẽs, cum epistola ad Hebræos. Seculum enim hoc expectare non potuit, ut apertius rem & commodius tractaremus, quando & deus ita agit, ut qđ hic in aurem audimus, prædicetur ubique super tecta.

Non habes itaque hic alia, quàm quæ publice in schola VVitembergensi prælegimus, & epistolam ad Galatas non addidißemus, quam post reliquas nunc tandem interpretati sumus, quid enim opus erat post cõmentariolum D. Martini in eandem epistolam? nisi timuissem librarios illos, qui sua lucra sectantur, per hanc epistolam auc turos quàm primum illam æditionem, quæ nuper prodijt nobis & ignorantibus & inuitis. Placuit uero huic epistolæ præmittere indicem insignium locorum, super

stitiosius quidem, sed tamen non præter rem, ut uideas, quàm succi plena sit epistola, contra illos, qui hic ieiunam aridámque solum increpationem putant contineri. Est quidem epistola ad Romanos multis nominibus huic præferenda, sed hanc si illi copulaueris, lucem uidebis, quam hypocrisis humanæ iustitiæ ferre non ualebit.

Index

INDEX

ANNOTATIONUM IO. POmerani in Epistolas Pauli.

B

C

conscientijs

D

Doctrinis

E

Episco-

Excom-

Fides

Forma

G

H

I

Inebriatio

N

O

pauperes

Regnum

S

Testamen-

V

Vita

FINIS.

1 PAVLI prædicationem esse uerum Christi Euangelium ab ipso Christo glorificato acceptū, cap. 1. et. 2.

2 Christum satisfactionem nostram esse & redemptionem. Qui dedit, inquit, semetipsum &c.

3 Vocare Euangelium aliquid aliud quàm iustitiam dei per Christum, esse blasphemiam & Christi Euangelij subuersionem. Quod non est aliud &c.

4 Seruum Christi non posse hominibus, id est, humana tantum sapientibus placere. Nam si &c.

5 Spiritum concipi ex auditu fidei & non ex operibus legis, cap. 3. Hoc solum &c.

6 Maledictos esse qui sub operibus legis sunt. Itaq; qui ex fide sunt &c.

7 Salutem nostram esse promissiones & testamentum dei non opera hominum. Fratres &c.

8 Legem nō iustificasse sed pædagogum fuisse ad Christum. Itaq; lex &c.

9 Fidem facere filios dei, unū in Christo omnes, adeoq; ueros Abrahæ filios non ex carne Abrahæ, sed secundum fidē Abrahæ ex deo genitos. Omnes enī filij dei estis &c.

10 Filium dei per suum spiritum nos redemisse ex seruitute legis in adoptionem filiorū dei, cap. 4. Dico aūt &c.

11 Conuerti ad elementa mundi, id est, carnalem iustitiam, esse negare gratiam. At nunc &c.

12 Legem seruitutem esse, promißionis fidem libertatem. Dicite mihi &c.

Per

Status

STATVS EPISTOLAE.

NOn ex operibus legis sed ex fide in Christum nos iustificari, qui factus est pro nobis maledictum et peccatum, ut nos fieremus dei benedictio & iustitia per ipsum.

ARGVMENTVM.

GALATAE à Paulo didicerant Christũ esse nobis factum à deo iustitiam, sapientiam, redemptionem, id est, nos ex sola fide in Christum iustificari & filios dei fieri, sed seducti à pseudapostolis ad fiduciam operum legis relapsi erant. Quos reuocat Paulus per hanc epistolam & quae sit uera iustitia rursum docet. Antequam uero rem ipsam tractat, prius pseudapostolorũ respondet calumnijs.

Ioan-

IOANNIS

POMERANI ANNOTA-
tiones, in Epistolam ad Galatas.



PAVLVS Apostolus. Statim in inscriptione, certificat lectores de suo ministerio, ut nō dubitent eum habere uerbum dei, cui credant, & simul notat seductionem, & mendacia pseudapostolorum. Dicit ergo se Apostolum factū, non ab hominibus, neq; per hominem aliquem, sed per IESVM &c. quemadmodum & infrà. Notum, inquit, uobis facio fratres etc. Et rursum: Ast ubi Deo, qui me segregauerat &c. Vide istam uocationem Pauli. Act. 9. & 13.

Ab hominibus in scripturis dicitur esse, quod est ab hominibus inuentum & excogitatum, ut Matthæi. 21. Baptismus Ioannis unde erat? E cælo, an ex hominibus? &c.

Et Actorum sexto. Si est ex hominibus cōsilium hoc &c. Per hominem uero est, quod licet à Deo sit, tamen medio homine, ut quando discipuli Apostolorum ab ipsis Apostolis mittebantur. Paulus igitur illud negat de se, contra doctrinas humanas, & contra illos, qui mentiuntur se Apostolos, & non sunt missi à Deo, uel ab illis quibus Deus commisit. Hoc uero negat contra illos, qui ipsius eleuabant autoritatem, quasi tantum esset Apostolorum discipulus, nec satis adhuc intelligeret, quæ scire oporteret. Vtrunque autem negat, contra pseudapostolos, ut in sequentibus uidebis.

Qui suscitauit &c.

Resurrectionis CHRISTI meminit, non solum, ut puto, quòd in fide resurrectionis CHRISTI uertatur cardo nostræ salutis, sed etiam, & multo magis, ut commendet suum Apostolatum, contra pseudapostolos, qui nitebantur Pauli eleuare autoritatem, quòd non esset conferendus alijs Apostolis, qui à CHRISTO accepissent Apostolatum, & cum CHRISTO conuersati fuissent, cum Paulus, neq; à CHRISTO audijsset, neq; ab ipso missus esset, sed solum ab Apostolis, uel alijs discipulis: iccirco non ferendum, quòd opera legis abijceret, quæ adhuc in Iudæa magni Apostoli seruarent, & quæ apud eos ne Paulus quidem negligere auderet. Quis istis argumentis non moueretur? Eodem modo & apud Corinthios eleuatā ab ipsis Pauli autoritatē indicat ipse 1. Cori 9. Hæc confutat infrà ex historia sua, ut indicabimus.

Igitur

Igitur mea ſententia, in hac inſcriptione, dum commendat non ſuam perſonam, ſed ſuum Apoſtolatum, id eſt, miniſterium uerbi, utitur argumento à maiori ſic: Si magni ſunt Apoſtoli, qui cum Chriſto mortali conuerſati ſunt, & didicerunt ab eo, maior ego ſum, qui didici à Chriſto iam glorificato & regnante, & miſſus ſum, non à conuerſante in terris, ſed à regnante in cælis. Neque à ſolo Chriſto, ſed & à Deo Patre, & Chriſti, & noſtro miſſus ſum, ut omnino agnoſcatur negocium meum eſſe Dei. Hoc argumentum nullum erat apud Paulum, uel apud ſyncere Chriſtianos, qui non reſpiciunt in perſonas, ſed in ſolam Dei uoluntatem, ſed tamen hic ita oportuit premi impias pſeudapoſtolorum perſuaſiones, & ſtultam mentem illorum qui eis crediderant. Neq; hic, aut alibi, agit Paulus, ut alicui Apoſtolorum ſe præferat, ſed hoc ſolum, ut nõ permittat ſuum miniſterium, quod Dei eſt, contemni, atq; adeo Dei, quod habet uerbum &c.

Gratia.

Salutatio Paulina &c.

In ſalutatione, quaſi argumentum indicat totius Epiſtolæ, id quod & facit in Epiſtola ad Romanos, & ferè in omnibus, ſimiliter & Petrus. Apoſtolica doctrina eſt nihil aliud quàm docere Dei iuſtitiam, contra iuſtitiam humanam, atque eam ſtatim in exordijs indicant, ex hoc ſubmonentes, quid docturi ueniant.

Gratia Dei, eſt fauor, quo nobis Deus bene uult, quo gratis dimittit peccata, & facit nos ſuos filios, & hæredes. Quam

des. Quam gratiam statim comitatur pax conscientiæ, quæ gaudet se fide illam gratiam aßecutam. In operibus, & iustitijs humanis, nihil aliud quàm uexationem conscientiarum inuenies, tantum abest, ut pacem habeat, & tranquilla sit conscientia, quæ uere tranquilla fieri nequit, donec credat sibi per CHRISTVM à Deo peccatum dimißum. Atq; hoc est quod in hac felici imprecatione addit Paulus: A Deo Patre, & Domino nostro IESV CHRISTO. Quasi dic. Non ab operibus uestris, aut iustitijs legis. Vbi & hoc aduerte, quòd DEVM appellat Patrem, non dubium quin nostrum, quemadmodum statim infrà dicit: Iuxta uoluntatem Dei, & Patris nostri, ne quis, audita Dei appellatione, quod est Maiestatis nomen, trepidaret, & fugeret mala conscientia, quemadmodum olim Hebræi ad montem Sina, sed potius prouocaretur ad accedendum ad eum, quem non iam iudicem audit, sed Patrem, & Patrem suum. IESVM uero CHRISTVM appellat Dominum nostrum, maiestatis nomine, ne quis contemnendum putet eum, propterea quòd homo propter nos, ad formas crucis sese demiserit. Vt interim nō dicam, quòd insignis hæc est gratiæ commēdatio, quòd Deus in quem peccauimus, est factus pater noster, & is Dominus noster, qui propter peccata nostra mortuus est. Maiora sunt hæc, quàm ut uerbis aßequi tentemus.

Qui dedit seipsum pro peccatis nostris.

Et tu

Et tu ſcilicet aliquid maius dabis pro peccatis tuis? Hæc eſt noſtra ſatisfactio & iuſtitia, ut confundantur omnes doctrinæ dæmoniorum, quæ nos alias ſatisfactiones & iuſtitias & merita docuerunt.

Vt eriperet.

Id eſt, ut nos è regno mundi transferret in regnum iuſtitiæ & lucis, è poteſtate principis tenebrarum, in regnum & poteſtatem Chriſti mundi uictoris, id quod apertius dicitur. Coloſ. 1. Qui eripuit nos &c.

Regnum autem mundi appellat præſens ſæculum, & hoc ipſum malum, quia, ut Ioannes ait: Quicquid eſt in mundo, eſt, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ, quæ non ſunt ex patre Deo. Cōtrà Scriptura, regnum Dei, ſiue regnum cælorum, quod eſt regnum Chriſti in Eccleſia ſanctorum, appellat futurum ſeculum, non ſolum, quòd iſta gratia prædicebatur olim, ſed etiam licet in eo iam regno ſimus, tamen nondum apparuit quod erimus. Videbimus quandoq;, quod nunc per fidem tenemus. Hic eſt, quod Eſa. 9. Chriſtus uocatur, Pater futuri ſæculi, id eſt, non præſentis, quod malum eſt, de quo & ipſe dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Et ad Hebr. 2. dicitur: Non enim Angelis ſubiecit orbem terræ futurum. Vnde Chriſtus ait Ioan. 17 de ſuis diſcipulis: Hi in mundo ſunt, ſed de mundo non ſunt.

Iuxta uoluntatem &c.

Nō iuxta noſtrū arbitrium, uires, merita, iuſtitiam &c.

Ipſi gloria.

Non nobis, & nostræ prudentiæ, uel iustitiæ. Non enim in nobis est, unde gloriari liceat. Nostrum est peccatum & confusio: Deus autem operatur omnia, & uelle, & posse bonum, in nobis, qui & nos, & omnia creauit. Philippen. primo & secundo. Ipsius ergo sit, non nostra gloria, qui dicit in Esaia: Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Id quod & precantur pij, qui hypocrisim humanam detestantur, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua & ueritate tua. Hac gloria indigent omnes Roman. 3.

Vides itaque totum Euangelium, rotundis & apertis uerbis, in hac salutatione, à Paulo nobis descriptum &c.

Miror.

Procemium à castigatione exorditur, castigans stultitiam, quod à spiritu ad carnem defecissent, id est, à libertate CHRISTI, in legis seruitutem, siue fiduciam operum legis, in quibus nulla pax inuenitur, sed perpetua conscientiarum uexatio. Simul & hac oratione grauissime perstringit pseudapostolos, id est, illos qui prædicant operum fiduciam, & magnam eis apud Galatas concitat inuidiam. Quid enim hic sentiant de illis, cum audiunt se translatos à CHRISTO, in illud quod non est Euangelium, hoc est abactos à CHRISTO in errorem?

Per Gratiam.

Non

Non per opera aut merita uestra. Non enim est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei & uocantis. Roman. nono. Quos enim prædestinat &c. Rom. octauo. Stulti Galatæ, qui sine operibus, sola gratia uocati in regnum lucis, ad opera deficiunt, propter doctrinas humanas, quas Paulus alibi dicit, Dæmoniorum, quæ nunc regnant.

Quod non est aliud.

Castigatio est rhetorica.

Inuertere.

Id est, falsificare, ut nomen Euangelij maneat, quasi illi soli doceant uerum Euangelium, cæterum res absit, id est, nihil minus sit quàm Euangelium. Hæc impietas nunc obtinuit regnum ad longa tempora, nisi non uera sunt, quæ ubique Paulus scribit, atq; adeo nisi Christus frustra uenit in terras &c. Hos itaq; turbatores hominum & inuersores Euangelij Christi uocat, qui tamen pastores & doctores uolunt uideri, de quibus nos monuit Christus: Attendite à &c. Et. 1. Ioan. 4. Charissimi, nolite omni &c.

Cæterum.

Gnome, qua indicat non esse aliud Euangelium. Falsò, inquit, possunt appellare Euangelium, sed maledictio & error est, dum aliud quàm docuimus, docetur. Hic non sinam me premi autoritate, non solum magnorum aliquorum, ut uocant, Apostolorum, sed ne Angeli quidem è cælis, si fas est, uenientis. Non enim istud meum, uel hominum aliorum, uel Angelorum negocium est, sed Dei &

Domini nostri IESV Christi. Vides quàm ardeat, uel in principio Epistolæ, in Euangelij subuersores &c. Vides quoq;, quàm certus sit de Euangelica ueritate, qui de ea non ita certus est, caueat, ne prædicet: in tempore enim tentationis uix qui certus est persistet, & de quibusdam dicit alibi, q, nesciunt de quibus affirmant etc. Hic præterea certa sententia condemnantur omnes, aut certe cõdemnati à Deo declarantur, qui aliter docent Euangelium Christi, quàm Paulus docuit. Tu uero quisquis es, aut Paulum condemnabis, aut istud uerum cũ eo fateberis.

Cum Græcis quoque uerbum πείθω datiuum requirat, quemadmodum & Latinis suadeo, tamen hic ita ad uerbum recte leges ex Græco; Nunc enim, hominés ne suadeo, an Deum? id est; Humana ne sunt, quæ iam doceo, an diuina? sicut alibi Paulus dicit: Prædicamus Christum crucifixum. Hic datiuum subaudi. Nunc enim hominés ne suadeo uobis, aut alijs, an Deum? Ratio est qua confirmat præcedentia. Qu di. Cur non ita damnem omnes aliter docentes, cum non humana sint quæ docemus, & nitimur hominibus persuadere, sed diuina? Deo necesse est cedat, quicquid est Angelorum & hominum.

Aut quæro hominibus placere?

Certe non, alioqui seruus Christi non eßem. Non possunt, qui quæ Dei sunt docent, hominibus, id est, humana sapientibus, placere. Stultitia enim sunt illis, quia intelligere non possunt. 1. Corint. 2. Quomodo enim hominibus placebis prædicato uerbo dei, quod omnia humana damnat,

mnat, arbitrium, uires, ſapientiam, iuſtitiam? Placent autem qui opera prædicant utcunq; clament contra peccata, nam hic ſapientia & iuſtitia humana non offenditur, ut maxime quiſq; ſuis ſeruiat cupiditatibus, de quibus prædicatoribus cap. 6, dicit, opera legis perſuadẽt ut perſecutionem crucis Chriſti non ferant, & ut in carne ueſtra glorientur. Aut igitur hic neceſſe eſt offendere homines dum uerbum dei ſyncere doces, aut offendere deum dum fiduciam operum prædicas & humana aliquid eſſe permittis. & aut illic amicus hominum non es, aut hic nõ ſeruus dei.

Ait ergo, Cur non damnem humanas doctrinas & quicquid eſt contra Chriſti Euangelium, cũ ego ſim Chriſti ſeruus & germanus apoſtolus? At ais, quid ergo eſt, quod alibi dicit 1. Corin. 10. Ego per omnia omnibus placeo? Reſpondeo, Ipſe ſe illic declarat, dicens; Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus & Eccleſiæ dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalui fiant, & ſuprà cap. 9. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſaluos. Omnia autem facio propter Euangelium &c. Propter deum ergo placere ſtudet & Iudæis & gentibus, dum multa adhuc ſuffert & diſſimulat propter infirmitatem eorum, ut eos Chriſto lucrifaciat, non ut perpetuo infirmi maneant, atq; hic placet non tam hominibus quàm deo. Breuiter; Seruus Chriſti diſplicet propter iuſtitiam

non propter suam iniquitatem hominibus, id est, illis qui sapientiam rationis suæ secuti, sapientiam dei oderunt, & placet illis qui uerbum suscipiunt utcunque adhuc infirmi sunt. Quandoquidem uocabulum homo in scripturis male audit, ut 1. Corin. 3. Nonne homines estis? Psal. 9. Ut sciant Gentes quod homines sunt. Hiere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine &c. Placere debent serui dei, id est, ita agere & conuersari ut nemo possit de illis iure conqueri aut detrahere, ut est in epist. Petri. Non placent autem, quia fit in eis quod de CHRISTO in psal. scribitur: Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi &c.

Notum autem.

Hæc est exordij ratio & sequētis narrationis exordium.

Audistis enim.

Quod ab homine non acceperit Euangelium probat narratione suæ historiæ, usq; ad eum locum in sequenti cap. ubi dicitur: Quod si dum quærimus &c.

Audistis.

Id est, Ante conuersationem meam non potui discere à quoquam, qui optimus phariseus Euangelium persequebar.

A maioribus.

Vide Ordine[m] Pom. qui co[n]stituit Bru[n]zwigensibus.

2. Timo. 1. addit in conscientia pura à progenitoribus suis se seruisse deo. Ut uideas conscientiam bonam & intentionem, ut uocant, bonam nihil esse, nisi sequaris syncerum dei uerbum. Nam interim Paulus fuerat blasphemus.

ſphemus & Eccleſiæ dei perſecutor, ut dicit. 1. Timo. 1. Zelum enim quidam dei habent ſed non ſecundum ſcientiam, Rom. 10. & perſequentes Euangelij profeßores putant ſe obſequium præſtare deo. Ioan. 16.

Aſt ubi.

Id eſt, Neq; poſt conuerſionem meam potui diſcere Euangelium ab hominibus quod prædico, quia ſtatim prædicaui etiam Gentibus & diſputaui cum Iudæis, non contuli cum hominibus Euangelium meum, non ueni ad Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & prædicaui illis qui Chriſtum ignorabant &c.

Duo dicit. Alterum, ſe factum doctorem Gentium, quando deo uidebatur. Alterum, ad hoc ſe electum ab utero matris ſuæ. Sic & nos quando deo uidetur conuertimur ad ipſum, interim oportet nos eßе neceßario impios, qui tamen prædeſtinatione ſumus filij dei. Rom. 5. Cum adhuc inimici eßemus. Ioan. 11. ſed ut filios dei &c. Et planè idem eſt quod de Hieremia dicit dominus. Priuſquam exires de uulua ſanctificaui te, id eſt, ſeparaui te mihi, ut eſſes propheta in gentibus, quemadmodum omne primogenitum ſanctificatur domino, quod hic ſegregare deo & illic ſanctificare deo dicitur, idem eſt Hebraica phraſi. Sic & ſabbatum ſanctificatur, id eſt, ſeparatur deo à reliquis diebus in quibus ſeruimus nobis. Vides quàm nihil dicant qui illic ſentiunt Hieremiam in utero matris fuiße abſq; peccato.

Cum carne & ſanguine.

Id eſt,

Id est, hominibus quibuscunq;, etiam Apostolis. Sic et Matth. 16. Caro et sanguis non reuelauit tibi. Et. 1. Corin. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, id est, animalis homo.

Eram ignotus.

Ideo non fit ut ab eis didicerim.

CAPVT II.

Cohæret cum præcedentibus, ut dixi supra. Barnabas Iudæus natus erat, Titus gentilis.

Ascendi.

Non auditurus sed collaturus Euangelium, ne forte &c. Id est, ne suspicarentur qui erant in Iudæa fideles, Paulum non recte docere, ipse autem erat adeo certus ut diceret, etiam si angelus è cœlis &c. Imò ut etiam auderet se hic committere iudicio aliorum, etiam apostolorũ.

Sed neq; Titus &c.

Potuisset hic ferri circuncisio Titi propter infirmos, sed quare non permiserit Paulus, clare addit rationem, propter, inquit, obiter ingressos &c. Exemplum istud est ut feramus fratrum infirmitatem, modo doctrina Euangelica maneat integra. Cum uero ex ista nostra per charitatem dissimulatione Pharisæi et proditores nostræ libertatis legem facere uolunt, in nullo cedere debemus, ne dũ fratribus seruimus, dei ueritatem uiolemus. Sinite illos (ait Christus) cæci sunt & duces cæcorum.

Vt

Vt ueritas.

Id est, ne uos Gentes ex isto facto necessariam putaretis circuncisionem contra libertatem Euangelij quam prædicaui &c.

Hoc uero exemplum Titi obiter quidem adducit, quia duxerat eum secum Hierosolymam, sed tamen aptißime ad rem, Qu. di. Illi qui male uolunt prædicationi meæ, nõ potuerunt obtinere ut circunciderem Titum gentilem, ne inter Iudæos quidem conuersos ad Christum, adeo defendi istam libertatem, etiam dum Hierosolmymam uenissem ad Iudæos et ad Apostolos, contra illos qui ut rem necessariam circumcisionem requirebant ex nobis. Vt uideant aduersarij quam nihil agant, dum dicunt, me aliter sentire inter Iudæos & apud Apostolos. Infirmis compatior, pharisæis nihil cedo. Charitas mihi mandata est, quæ non charitas sed impietas est, dum ueritati contraria est Euangelicæ.

Ab ijs autem.

Id est, nihil accepi ex Apostolis, sed collato cũ eis Euãgelio meo, ubi uiderunt mihi hanc gratiam datam, dexteras dederunt socias, ut ego secundum uocationem meam irem ad Gentes, dum ipsi interim apud Iudæos prædicarent Euangelium, unum hoc tantum rogantes, ut pauperum qui sunt in Iudæa memores essemus, curando eis necessaria ex gentibus. Pauperes autem dicit quibus eripiebãtur bona propter Christum inter Iudæos, ut habet & epistola ad Heb. aut certe qui premebantur inopia propter

famem

famem quæ acciderat in Iudæa sub Claudio Imperatore, Acto undecimo. Quam uero Paulus hoc pauperum negocium curarit testes sunt eius Epistolæ.

Qui uidebantur aliquid esse.

Item, Qui uidebantur esse in precio. Item, qui uidebantur esse columnæ &c. Cum hæc dicit, non contemnit aut deijcit Apostolos alios, sed respectum personarum in illis significat apud homines, qui apud deum nullus est, quasi illi ob hoc essent magni, quod cum Christo in carne uersante fuissent. Magnum certe hoc, sed de quo etiam Iudas gloriari potuisset si uixisset, per quod non uult Paulus sui Euangelij premi autoritatem, nam Deus non iudicat secundum ista quæ uidentur. Ideo ait, Quales aliquando fuerint, scilicet, quod cum Christo conuersati sunt &c. nihil mea refert. Non enim hoc nunc agitur, an aliquis Christũ uiderit aut audierit in carne loquentem, sed an habeat Euangelium Christi in pectore & missus sit ad euangelizandum, id quod in me agnosco &c.

Ab his &c.

Incompleta oratio est, quã complet quando dicit. Nã mihi &c. sed mutata orationis figura. Sic & statim, quã orationem suspendit, dicens: Imò cõtra cum uidissent etc. Complet postea, dicens: Cumq; cognouissent &c. nihil mutata figura orationis, sed tantũ parenthesi interserta.

Personam.

Idest.

Id est, non refert apud deum qualis uideatur homo ab hominibus, siue magnus siue contemptus, siue sanctus siue non sanctus, siue multa opera bona faciens siue non faciens, siue clericus siue laicus, siue niger siue albus, & , ut infra dicit, siue circūcisio siue præputium, siue masculus siue fœmina, siue liber siue seruus, modo sit Christianus. Nam quod deus alios facit prædicatores, non inde meliores sunt, sed potius aliorū serui et Dei ministri &c. Damnatæ sunt ergo oēs nostrorū sectæ, quæ talem respectū personarum aliquid apud Deum ualere putant.

Nam qui efficax &c.

Nihil est quod præferant Petrum et alios, una est gratiam euangelizandi quæ mihi & illi commissa est, quæ si fuit efficax inter Iudæos in Petro, certe non fuit inefficax in me inter Gentes, quid ergo hic personas hominum intuentur ubi operatur Deus non homines?

Cum autem.

Eleuant quidam hic omnia, nunc Paulum nunc Petrū excusantes, sed quid attinet ita nugari? Paulus recte fecit & Petrus erat reprehensibilis, nam hic negocium tolerandi infirmos Iudæos quod potuißet alioqui esse charitas, uergebat in damnum Christianæ doctrinæ, atq; adeo sacri Euangelij, dum ex hac simulatione Petri Gentes discerent suam damnari libertatem & Iudaica illa eße ad salutem necessaria. Hac uero simulatione & cæteri Iudæi & ipse Barnabas abducebatur, ut cum Petro agerent pro Iudæis infirmis, quæ Gentibus ueritatem

Euangelij

Euangelij & obscurarent & obliterarent. Hac de re suprà diximus in historia Titi.

Gentiliter uiuis.

Id est, libertate Euãgelica uteris cũ gentibus inter gentes.

Cogis.

Scilicet tua simulatione, qui uideris habere autoritatem.

Nos natura.

Nos Iudæi, inquit, iustitia operum nos uendere possumus, id quod non possunt Gentes. Nostra mala occulta sunt, Ro. 2. illarum manifesta, Ro. 1. Neq; tamen iusti sumus coram deo propter iustitiam operum, quæ corã deo nulla est, sed æque ac Gẽtes nos in Christum Iesum credimus, ut iustificemur ex fide Christi &c. Quid ergo Petre qui non ignoras Christi iustitiam cum sis spiritu doctus, qui libertatem Euangelicã intelligis cum edas cum gentibus, cogis Gentes tua simulatione iudaissare, ut inde discant iustitiam quærere operum contra Christum? Hæc historia Petri eò pertinet, ut Paulus indicet se quandoq; aliquid profuisse magnis illis Apostolis in Euangelio tuendo, tãtũ abesse ut ab eis acceperit. Tota uero hactenus narratio illud probat, quod Euangeliũ suum nõ acceperit ab hominibus. Sed in fine narrationis, ex Petri historia accipit occasionẽ ad scopum huius epistolæ, qui est, quod per solam in Christum fidem iustificamur & non ex operib. legis, multo minus ex alijs operib. ab homĩb. excogitatis.

Opera legis non iustificant, quia nunquam per ea satisfacere potes conscientiæ uere peccatum suum sentiẽti.

Item

Item lex affectum cordis requirit, & dum non es iustificatus, impurum cor habes, & opera facis, non spontaneo corde, sed lege cogente: ideo ex eis non potes iustificari coram Deo. Ex fide autem in Christum, iustificamur, quia Christus factus est nobis à Deo, iustitia, sapientia, sanctificatio, redemptio. 1. Corinth. 1. Hæc sunt tua, modo ipse Christus per fidem sit tuus. Quare ista factus est nobis Christus? Quia ista ex nobis non habere potuimus, qui nihil aliud ex nobis sumus, quàm caro, nihil spiritus habentes. Iccirco, quicquid per nos possumus, nihil est aliud quàm carnale, etiam si in speciem sit sanctissimum. Qualis enim arbor, talis & fructus. Quia uerò per fidem in Christum iustificamur, ipse spiritus Christi in nobis per fidem susceptus, porrò facit, ut uoluntatem in lege Dei habeamus, & spontaneo corde, non lege cogente, faciamus ea quæ lex uult, & si quid adhuc delinquitur, id quod certe fit per omnem uitam, propter Christum non imputatur, dum non secundum carnem ambulamus, sed spiritu militamus aduersus carnem, & displicent nobis peccata nostra. Roman. octauo.

Omnis carò.

Nō solum ad tropum scripturæ pertinet, quò caro pro homine accipitur, sed etiam ad rem hanc. Quasi di. Qui fit, ut caro ex operibus suis iustificetur, id est, iusta fiat, & à peccatis libera, quæ certe nō potest alia facere, quàm carnalia? Tú ne ex carne putabis nasci spiritum? Certa sententia est Christi: Quod natum est ex carne, caro est &c.

Quod si dum quærimus.

Hactenus absque dubio Paulus ad Petrum propter alios qui aderant locutus est· Quod si cætera quoque putes tunc dicta ad finem usque capitis, nihil refert·

Quod si· Argumentum ab absurdo: Si lex iustificat, & qui quærimus iustificari in CHRISTO, *iustitiamque in* CHRISTO *consequimur, adhuc sumus iustificandi ex lege, quemadmodum docent pseudapostoli, & doctrinæ Dæmoniorum, ergo* CHRISTVS *nihil aliud est, quàm peccati minister, & Moises seruus potior est* CHRISTO *Domino: nam Christiani iam facti indigent Moise & operibus legis, ut iustificentur, &* CHRISTVS *ad Moisen nos mittit, idque opera legis præstabunt, quod* CHRISTVS *præstare non potest· Istúd ne est Moisen præferre* CHRISTO, *& opera nostra gratiæ Dei? Quando quæso hæc absurda ferent Christianæ aures? Et tamen hæc pro pietate, pharisaica doctrina nobis, ut tunc Galatis, obtrudit· Iccirco dicit: Absit· Abeat in malam rem doctrina, quæ hoc tentat docere, non habebit me consortem, nam hoc ipsum hactenus Euangelizando destruxi, id est, contra hoc prædicaui, si nunc rursum Christianis fiduciam & iustitiam legis prædicarem, ædificarem quæ antè destruxi, & fierē transgressor, id est, declararem Euangeliū esse falsum, quod hactenus prædicaui, & me fuisse seductorem, aut si illud non est falsum, ut certe non est, fierem nunc transgressor, aliud docendo, & à* CHRISTO *ad Moisen reuocarem· &c·*

Ego enim

Ego enim.

Contentio est Rhetorica: Nemo mihi molestus sit, per legis prædicationem, quasi iustificet. Ego mortuus sum cum Christo, ne lex amplius dominetur mei. Roma. 7. Habeo legem spiritus, per quam mortuus sum legi literæ. Olim me lex urgebat, ut facerem quod non potui, & primum fecit hypocritam, dum eam non intellexi. Deinde supra modum peccatorem, dum eam intellexi. Roma. 7. Nunc lex spiritus uitæ, id est, ipse spiritus sanctus me trahit, ut uelim quæ lex exigit, ut iam legi in me nihil sit negocij, postquam legis sententiam abstulit mihi Christus, qui est uita & iustitia mea. Ro 8. Qui spiritu Dei aguntur, non lege cogente aut suo spiritu, hi sunt filij Dei.

Vt Christo.

Non legi, uiuerem, unà cum CHRISTO crucifixus sum. Matrimonium soluitur morte, siue uir moriatur, siue mulier. Dum uiuebam uitam meam ex Adam, secundum sapientiam & iustitiam carnis, lex erat mihi copulata, erat maritus meus, dominabatur mihi. Roman. septimo. Iam uero mortuus sum, crucifixus sum cum Christo, baptizatus sum in Christi mortem, ut uiuam cum Christo resuscitato, ut non uiuam mundi uitam, seruiens alligata conscientia legi, in elementis huius mundi, sed Christi uitam, quæ est per fidem in Christum. Spiritu enim fidei, ex Euangelio concepto, non iam aliam agnosco uitam, quàm Christum, non alium spiritum quàm Christi. Ego mortuus sum, ego abnegaui meipsum, cũ Christo cru

cẽ fero ad mortem, non iam habeo meum iudicium, meum arbitrium, meam uoluntatem, sed CHRISTI· Hoc est, quod et in fine Epistolæ dicit: Ne qs mihi molestias exhibeat· Ego enim stigmata Domini IESV in corpore meo porto, id est, mortis Christi signa in me fero, agnosco me cum Christo mortuum· Et Col·2· Si ergo mortui &c. Ex his itaq; uides, ubi sit illa Euangelica libertas, & solutio à lege: nempe, ubi mors in Christum, siue mortificatio sui, abnegatio sui, & crucifixio præcesserit, & iam sit noua in Christo uita· Quicquid autem adhuc malorum in carne restat, nõ imputatur, sed pro mortuo habetur, dum spiritus contrà pugnat, & hoc ipsum quod furit peccatum iugiter condemnat·

Qui dilexit me.

Non ego operibus demerui illum·

Et tradidit &c.

Dum adhuc eram peccator, alioqui cur traderet se pro me? Quod est fortiss· Christianorũ argumentum, q habẽt certe testimonium spiritus, q, sunt filij Dei, per filium Dei Christum· Si per opera & uires humanas possunt auferri peccata, quid opus erat Christũ p peccatis mori? Itaq; qui contendunt ex operib· esse iustitiam, negant Christum esse pro peccatis mortuũ, atq; adeo Christum omnino inutilẽ faciunt & fabulam, cui titulos quosdã dant, cæterum rem & gloriam ei auferunt, & gratiam, misericordiamq; Dei blasphemãt· Manent ergo in sua maledictione, nam in isto semine, Abrahæ promissa est benedictio· Contrà dicit Paulus: Nõ

lus, Non aspernor gratiam Dei: nemo hoc efficiet, ut operibus tribuam, quod est gratiæ Dei. Contendant alij ut uelint, ego testimonium spiritus habeo, qui uoluerit contemnere, contemnat. Animalis homo ista non capit &c.

CAPVT III.

QVia Galatæ Euangelium uerum acceperant à Paulo, quod est, quòd per solam fidem in Christum iustificamur, quemadmodum nunc dixerat, & ab isto Euangelio passi iam sunt se abduci per pseudapostolos, in aliud quasi Euangelium, graui obiurgatione dignos ducit. Quid enim stultius quàm à Christo, qui est DEI uirtus, recidere ad tuas uirtutes siue uires, quæ caro sunt, & humana stercora? Omnis enim caro fœnum, & gloria eius flos fœni &c. Esa. 40. Multis uero argumentis eos obruit, quæ utinam noßent, qui hodie iustitiam Christianam impugnant, ut & ipsi suam agnoscerent stultitiam, quæ præterea talia sunt, ut carere non liceat ijs, qui sese cõtra insultus Satanæ & Pharisæorum tutos in conscientia uolunt. Nam neq; nunc ceßat illa hydra sua spirare uenena, dum sub Papistico regno ista stultitia iam obtinuit Prĩcipatum. Primum igitur obiurgando proponit sic. Stulti estis ò Galatæ, & fascinati, ut non obediatis ueritati Euangelicæ, quam dixi, qui à iustitiæ Dei recidistis ad iustitiam hominum, id est, ab illa iustitia, qua Deus uere iustificat, qui solus & gratis dimittit peccata, ad iustitiam, qua homines sese suis operibus nituntur frustra iustificare. Hanc

re. Hanc propositionem deinde multis probat argumentis, ut uidebimus, usque ad quintum caput.

Fascinum pro præstigio Paulum accepiße, manifeste ipse declarat, dum addit:

Quibus præ oculis &c.

Id est: Non uidetis quod ob oculos positum est, & hoc ipsum aliud uobis uidetur quàm est, id quod solet efficere præstigij illusio.

Quibus præ. Argumentum primum ab experientia. Stulti estis, qui non uidetis rem ob oculos positam. Nos prædicatione nostra uobis Christum depinximus salutem omnium, et hunc crucifixum pro nostris peccatis, id quod iam præstigijs pseudapostolorum seducti non uidetis. Nã aut Christus non est crucifixus, aut iustitia non est ex operibus nostris. Crucifixum aũt non negatis, sed credere etiã uos fatemini cum pseudapostolis illis. Quod argumentum & hodie apud nostros debet eße efficacißimum. Nam Christum uerbis non negant pro peccatis mortuum. Ipse enim est agnus Dei, qui aufert peccata mundi. Qui igitur præ oculis Christum habemus, & uidemus in nobis crucifixum, siquidem hoc dicimus nos credere, cur istam satisfactionẽ nõ agnoscimus, sed aliud quiddã nos uidere somniamus, seducti à pseudochristiana doctrina? Si Christus pro peccatis mortuus est, quid ego abiecta Christi morte, peccata mea, id est, mortem meam meis operibus auferre cõnor? Aut igitur Christus pro peccatis non est crucifixus, aut falsum est opera iustificare. Quia uero Christum pro

peccatis

peccatis crucifixum fatemini, certum est, per iustitiam operum uos esse seductos.

Hoc solum.

Secundum argumentum similiter ab experientia, sed multo efficacius superiore, apud illos quorum consciẽtiæ hic appellantur. Spiritum accepistis ex illa prædicatione, qua prædicabatur uobis fides olim per me, ut abiecta idololatria, noua creatura fieretis. Testes sunt corda uestra, quæ spiritum sanctũ tunc acceperunt. Nunc deficitis ad iustitiam operum, in qua non est spiritus, sed tantum conscientiarum uexatio, & cordis ariditas: non enim hæc aliud in uobis efficit, quàm in alijs qui eam sequuntur. Stulti ergo estis, qui à spiritu quo obsignati estis in die redemptionis, qui dedit testimonium spiritui uestro q; eratis filij dei, deficitis ad opera, in quibus nunc nihil gratiæ, & tandem reuelata lege desperationem inuenire necesse est. Elementis mundi & carnalibus rebus, siue iustitijs externis seruire, graui iugo conscientiarum uultis, qui antè spiritu libertatis seruiebatis Deo.

Tam multa.

Huic argumento aliud interserit, quod est ab incommodis quæ passi erant propter fidem. Quasi di. Stultitia est, uana persuasione hominum seduci à uerbo fidei, uel à iustitia spiritus, quam adeo certam testimonio Dei in cordibus uestris tenuistis, ut non dubitaueritis pro ea, in corpore, fama, & rebus, multa ab infidelibus pati.

Si tamen.

Correctio, qua significat eos posse redire, ne omnia frustra facta sint. Siquidem omnis ista increpatio cò spectat, ut redeant ad ueram iustitiam à falsa.

Quemadmodum.

Confirmat ex Scriptura, iustitiam non esse ex operibus, sed ex fide, quæ argumenta etiam ualent apud alios, qui Christum non credunt adhuc crucifixum, item & apud illos, qui testimonium spiritus nondum habent, quemadmodum crediderant & acceperant testimonium spiritus Galatæ. Valent, inquam, apud illos, modo credere se dicant Scripturis, ut sunt Iudæi & iustitiarij nostri. Tertium igitur argumentum est; Abraham ex fide iustificatus est, quo patre gloriantur omnes qui legem profitentur, ergo ex fide iustitia est, nõ ex legis operibus. Degeneres sũt filij, qui patrem non referunt. Qui fidem imitantur Abrahæ, filij sunt Abrahæ, ad quos pertinet promissio, ut in fine huius capitis dicitur. Nam carnem nihil Deus moratur. Secundum carnem Abraham damnatus fuisset, nisi spiritu fuisset iustificatus, & perijt omnis Abrahæ posteritas, quæ ad impietatem deflectens, iustitiam fidei non est, ut Abraham assecuta. Roman. 9. Inde omnis illa Prophetarum & Christi cum impijs Iudæis concertatio &c. Breuiter: Paulus ubiq; hanc consequentiam sibi uult esse saluam: Si Christus iustificat, frustra quæri iustitiam operũ.

Præuidens.

Quartum argumentum: Benedictio Gentium est ex fide, ergo non ex operib. est iustitia. Dei enim pmittẽtis est

benedictio

benedictio, non nostra operantium, et ea non suscipitur, nisi fide, dum credis Deum ueracem qui promissa compleat. Porrò cum benedictio omnibus promittitur in semine Abrahæ, id est, Christo, consequitur ex ipsis Dei uerbis omnes esse maledictos & non posse benedictionem consequi, nisi per istud Abrahæ semen, consequitur quoq; & eos maledictos esse, qui sunt sub operibus legis. Nam per opera legis benedictio omnium gentium nō est promissa, sed per semen Abrahæ Christum. Et iustus secundum scripturam ex fide uiuet, non ex operibus legis. Quare ergo iniquus dicit lex, Qui fecerit ea homo uiuet in ipsis? Respondeo, Christus idem dicit: Hoc fac & uiues. Hinc enim est, quòd ex lege agnoscimus damnationem nostri, quia iustitia legis dicit, Fac et uiues. Nemo autem coram Deo facit legem, quia non satis est opus externum simulare, sed ut uerum opus sit affectus cordis requiritur. Diliges, inquit, Deum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum. Dum ergo non facis legem, quemadmodum lex requirit, mortis reus es secundum legem & maledictus. Nā maledictus est qui non permanserit &c. Appellantur quidem iustitiæ legis, item benedictiones legis & uita, sed hæc in externis erant & coram mundo, boni homines iudicabantur, ut Paulus; benedictiones uteri, agrorum, domus, pacis dabat Deus, & non occidebantur iudicio publico, quemadmodum legis transgressores, qui coram hominibus transgrediebantur. Cæterum ueram iustitiam, æternam benedictionem & uitam, tunc ut nunc nemo ni

Abr. 2.

si per fidem consequebatur· Hoc est quod Propheta dicit: Non praecepi uobis de uerbo holocaustorum, sed hoc, ut audiatis uocem meam· Externa opera legis fidem internam, quae respiciebat in uerbum Dei, testabantur, sine qua fucus erāt, et impictas erat tunc, ut nūc, per illa quaerere dei iustitiam· Vide Esa 1·

Christus nos.

Si maledictus est omnis qui non manserit in omnibus quae scripta sunt, sequitur omnes esse maledictos, nemo enim manet in omnibus &c· Testes sint uel nostri iustitiarij, qui toties recurrunt ad satisfactiones suas &c· Iccirco Christus factus est maledictum pro nobis et peccatum, 2· Co· 5 ut dicit ad Corinth· ut nos fieremus iustitia & benedictio dei per Christum, alioqui mansissemus in nostra maledictione & iniustitia per Adam, & nulla opera nos liberassent· Nō est ergo ex operib· iustitia, sed ex fide ī Christū.

Vt promissionem spiritus.

Id est, ut acciperemus spiritum sanctum, promissum propter Christum, non meritis & operibus nostris quaesitum, alioqui quod natum est ex carne, caro est &c· Promittebatur autē spiritus sanctus, id est, cordis humani innouatio per Christum dum benedictio promittebatur per Abrahae semen·

Fratres.

Quintum argumentum à similitudine testamentorum comprobatorum· Testamentum proprie est quando haeredibus institutis promittitur illud quod sunt accepturi,

hoc

hoc inuiolate seruatur & nemo superordinat. Abraham testamētū dei accepit per promißionē seminis eius, quod semē, id ē, filius ex eo nasceretur pquē benedicerētur oēs gētes. Si ergo ex promissione dei est hæredit s benedictio nis, non ēst ex lege. Hic Abraham per iustitiam fidei, ut dicitur Ro. 4 factus est hæres mūdi, ut fieret pater multa= rū gentium. Hæc promißio dei testamētū uocatur, quia datur dei hæreditas, qui per fidem ut Abraham fiunt filij dei, ergo & hæreditas. Sed hoc testamentū (ne dicas nō eße confirmatum) à Deo confirmatum est in semen Abrahæ, id est, Christum, quod Christus caput & autor futurus eßet huius benedictionis. Porrò, appellatio testa menti, cum includat in se testatoris mortem, significabat & deum quandoq; moriturū, id quod factum est in Chri sto. Vnde iam omnino cōfirmatum est testamentum Dei ĩ Christo. Habuit quidem et lex testamenti appellationē, sed in rebus quæ tantum hoc uerum testamentum repræ sentabant, ut dum sacrificabatur & sanguine litabatur, & bona promittebantur legem seruantibus, quæ nihil profuerunt, nisi suscepta in fide huius ueri testamenti etc. Vide Heb. 9. Nam alioqui ut sanguis hircorum & uitulo rum iuxta conscientiam auferre peccata non potuit, ita neq; lex seruari, ut supra dictum: Igitur ut Moises, ita & omnes Prophetæ in Christum Abrahæ promißum respi ciebant, et testamentum nouum uocauit Hieremias ca. 31. quod consumandum erat super domum Israël, & super domum Iuda, post testamentum uetus, id est, legem illam

quæ ad

quæ ad ueterem hominem pertinet dijudicandum, ut uideas adhuc post legem stetiße Dei promissionem factam Abrahæ. Alioqui si per legem eßet hæreditas et benedictio, iam lex tot annos post promissionem data mendacem faceret Dei promißionem, id quod est absurdum.

Non dicit.

Hoc addit, ne omnes Iudæi secundum carnem, qui sunt ex Abraham, putent hoc de se dictum, quemadmodum non est dictum de omnibus filijs Euæ. Ipsum semem conteret caput tuum, sed de uno tantum semine, id est, filio.

Post.

Id est, ultra uel supra quadringentos trigīta &c. Tanto tempore fuerunt filij Israël in AEgypto, Exo. 12. Hic autem dicit ultra, nam omnes anni adhuc supersunt, qui computātur à promißione facta usq; ad ingressum Iacob in Aegyptum. Sic ergo, inquit, Si ex lege est iustitia, unde quæso Abraham & alij ex quibus totum Israëlitarum genus est, iustificati sunt, quadringentis aut quingentis annis antequam lex daretur? Aut si dicitis per legem ceßasse promißionem, absurdum est, & præterea promißio iā in Christo sequuta est, per quem accipimus secūdum promißionem, benedictionem, cum lex non faciat nisi maledictioni obnoxios. Non opera ergo legis faciunt dei hæredes, sed promissio Dei, id est, testamentum à deo promißum, modo fide accipias &c.

Quid igitur.

Occupatio. Ergo ne lex dei inutilis erat? Non, sed ad dita fuit

dita fuit propter transgreßiones, id est, ut augeret pecca tum, dum reuelatione peccati in desperationē urget, præ cipiens quæ præstare non poßumus, ut & ipsa lex decla raret, quàm non ex lege iustificemur, sed ex sola gratia. Lex in se sancta, per occasionem meæ maliciæ fecit mihi peccatum grauius, dū inclinabar animo ad ea quæ lex ue tat, & indignabar deo qui cupiditatib. meis obsistebat, tantū abest ut iustificaret. Non est igitur recta sententia qua hic interpretantur legem additam propter trans-greßiones, scilicet coërcendas, id quod est impoßibile le-gi. Ideo sententia huius loci ex Rom. 7. petenda est.

Donec.

Per Christi spiritum, qui est spiritus fidei, morimur legi, quemadmodum suprà dictum: Ego per legem legi mortuus sum. Lex reuelabat peccatum, & damnabat o-mnes usq; ad Christum, per quem erat promißa benedi-ctio. Hic uides quæ sit libertas Christiana, sub damnatio-ne & lege es, donec ad te ueniat Christus. Vbi enim spiri tus domini, ibi libertas.

Ordinata.

Sic & Stephanus ait: Accepistis legem in dispositio-ne angelorum. Angeli enim illic agebant uice dei, ut & in historia Abrahæ & Loth uides.

In manu mediatoris.

Scilicet Moisi Deuter. 5. Per se populus deum audire non potuit, timebat enim ne moreretur, indigebat ergo mediatore, nō propter deum, qui unus est et nullius eget, sed pro-

ſed propter ſe quia peccatis ſuis premebatur & terrebatur ad dei præſentiam. Quando ergo iuſtificaret lex, quam natura non poteſt audire, ſed abhorret ab ea utcunque aliud extra fingat? Sed ais: Tamen adhuc indigemus mediatore Chriſto. Sed per hunc non iudicem deum uidemus, ſed patrem, ideo non fugimus ſed accedimus nihil territi noſtris peccatis, & hic iuſtificat & aufert peccata. Moiſes augebat, ut ſupra dictum. Per Chriſtum ſpiritus adoptionis amat in nobis deum, per legem ſpiritus ſeruitutis terrebatur à deo.

Lex igitur.

Redit ad id quod ſuperiori argumento dixerat: Teſtamentum & promiſſionem dei non irrita facta propter legem multos annos poſt ſecutã. Et ait ſic per inuerſionem: Igitur eſt ne lex aduerſus promiſſiones dei, quia non iuſtificat? Imò, inquam, ſi iuſtificaret eſſet aduerſus dei promiſſiones, oſtenderet enĩ promiſſiones eſſe falſas.

Sed concluſit.

Hæc eſt recta & finalis reſponſio ex prædictis illata. Scriptura, id eſt, lex concluſit omnia, id eſt, quicquid eſt hominum & uirium humanarum ſub peccatum, quia omnes reos morte fecit, ut agnoſcerent illud. Omnes peccauerunt & egent gloria dei, gloria noſtra & noſtrarum uirium ignominia noſtra eſt & damnatio.

Cæterum.

Pluribus uerbis dicit eam ſententiam quam ſupra dixerat: Donec ueniret ſemen, nempe, ante Chriſtum poſ-

ſeſſum

sessum non posse nos consequi ueram in conscientijs libertatem à sententia legis & exactione, ne somniemus nobis carnis libertatem: Lex premit & urget, ut discamus quærere gratiam Christi, et non cōfidere in nostris uiribus & arbitrio, illæ nihil possunt, istud tantum mala uult, per Christum uero liberi sumus & filij dei, sine ulla differentia Iudæi & gentilis, quemadmodum mentiuntur differentiam pseudapostoli. Quod si sumus Christi, certum est quod sumus semen Abrahæ, nam Christus, cū quo unum facti sumus, semen est Abrahæ, habens benedictionem credentibus promissam, nō carni & sanguini.

Non est Iudæus.

Coram hominibus diuersitas quidē uidetur personarum & officiorum & sexuum, cæterū in Christianismo non est differentia coram deo. Christus nullos nouit nisi Christianos Christianam fœminam nouit, impium monachum non nouit. Vnde ergo istæ sectæ & characteres? Vnus est character quo obsignati sunt qui Christi sunt, qui est spiritus sanctus, quæ & unctio Christianorum dicitur, per quem filij dei sumus & hæredes.

CAPVT IIII.

LEgem cessaße probat per simile. Lege, inquit, opus est paruulis licet filijs & hæredibus, ut seruitute preßi suspirent ad spiritus libertatē quæ est in Christo, quemadmodum tutoribus & procuratoribus indi-

gent

gent paruuli adhuc, donec grandescant etiam secundum mūdum. Interim quasi serui premūtur et liberi non sunt, licet coram patre et iure hæreditario sint omnium rerum patris domini. Hoc simile est ex consuetudine & legibus ciuilibus. Vbi autem paruuli superatis annis suam libertatem aßecuti fuerint, stulti eßent si uellent amplius cogi pædagogo aut procuratoribus &c.

Pueri.

Pueros dicit qui adhuc lege coguntur & statutis onerantur, id quod longe dißidet ab eo quod nostri monachi obseruationem suorum statutorum, quæ etiam diuinis legibus præferunt, uocauerunt statum perfectionis, cum nihil aliud sit, si non uentrem respicias, quàm misera conscientiarum seruitus.

Eramus.

Scilicet nos Iudæi seruientes sub elementis mundi, id est, sub litera legis, quæ nos externis & uisibilibus rebus alligabat, quæ ad hunc mundum attinent, sunt enim res perituræ, ut & Col. 2. dicitur, quæ nihil conscientiam iuuare possunt. Quæ certe tunc aliquid erant, quando secundum uerbum dei fiebant, hypocrisis autem erat dum in ea respiciebatur non in uerbum dei, quod talia mandabat, qua ratione nunquam ea uoluit Deus, Esa. 1. faciebāt enim ut talibus fiderent homines, quæ est idololatria. Porrò qui fieri potuit, ut in solum uerbum respicerent & omnia libero spontaneoq; animo facerent sine fide siue spiritu Dei? Qui autem spiritum Dei habebant, intelligebant

bant quidem suam libertatem, ut Dauid & alij, sed quia nondum erat illa libertas mundo reuelata, libera conscientia illa externa cum alijs seruabant, cæterũ nõ ista, sed dei gratuitam misericordiam, suam agnouerunt eße salutem.

At ubi uenit plenitudo temporis.

Id est, ubi tempus procurationis nostræ per legem pædagogum fuit impletum, omnia quæ libertatis sunt, mißa sunt nobis à Deo, ne maneremus sub lege. Primum, ut & Esaias dicit: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, nihil hic humanis meritis datur, sed omnia gratis, dum nos ne rogare quidem potuimus aut sperare salutem. Natus est nobis paruulus, ut peccatum, in quo nati sumus, tollatur, & natus est sub legem, cui satisfacturus uenit, ut nos à sententia legis, quæ ob peccatum nos premebat, liberaret. Et filius datus est nobis, ut nos essemus quod ipse, nempe filij Dei. Deinde quia filij Dei eße non potuimus sine spiritu filij eius, misit in corda nostra Deus spiritum filij sui, ut quemadmodum carne & sanguine cum parentibus carnis unum sumus, ita spiritu unum simus cum Deo, illud ex prima natiuitate, hoc ex secunda. Quo spiritu certi, uocamus Deum Patrem nostrum, ut & Ro. octauo uides. Itaque iam conscientiæ nostræ non amplius seruituti legis sunt obnoxiæ, quia concepto spiritu, non serui sumus, sed filij Dei. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. In quo rursum uides, non carnis prædicari libertatem, sed spiritus siue fidei, quæ est conscientiarum libertas. Stultum est ergo, uelle eße seruum, cum sis filius.

At nonne propter hæreditatem seruiendum est? Nonne cælum tibi tanti uidetur, ut non merito propter eum omnia agas? Hoc *rursum stultum est:* Hæredes *fiunt, non operibus, sed natiuitate. Si filius es, hæres es. Serui, donec uiuunt, operantur, non tamen hæredes fiunt.* Verum *h c semper oportet nos respicere, non in nos, sed in eum filium* Dei, *per quem filij* Dei *sumus, quemadmodum ipse dicit: Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Christus enim natura filius* Dei *est, qui præterea in carnem natus, adoptione quoque* Dei *filius est, ut nos adoptione, suos fratres, & filios* Dei *faceret.*

Sed tum quidem.

Sententia est: Nos *Iudæi antea seruiebamus elementis mundi, id est, literæ legis, & externis iustitijs carnis: uos* Gentes, *idolis, &* Dæmonijs. Nos *relinquimus externas iustitias, agnoscentes iam iustitiam* Dei *per Christum, & ab elementis mundi, siue illis infimis ascendimus ad* Deum: *uos contrà, à* DEO, *quem agnouistis fidei prædicatione, descenditis ad nostra infima & infirma, quæ nihil iuuare possunt secundum conscientiam rectam.* Nōne *magna hæc stultitia est?* Estote *ergo ut ego sum &c.* Id *est:* Ego *ascendi ab elementis mūdi ad* Deum, *uos ascendistis ab idolis ad eundem* Deum, *iam pares facti sumus in* Deo *per Christum, quæso pares maneamus.*

Dies &c.

Ergo *qui ad suas obseruantias & humanas iustitias conuertuntur, frustra audierunt* EVANGELIVM,

imò

imò etiam frustra susceperunt CHRISTVM &c.

Fratres, rogo uos &c.

Pathos unde noscas, cur & quibus suprà succensuerit, nempe, quia diligit, frater est, imò & parens. Atq; hic est uere Apostolicus animus, succensere, & dolere propter seductionem animarum, & diligenter uerbo Dei instaurare quod perijt &c. Ait ergo: Rogo uos ut fratres, non utor imperio, nemo uestrum me læsit, ne quis increpatiōem meam interpretetur esse uindictam meam in uos. Sum enim olim cum summo honore à uobis susceptus, dum credidistis Deo ad prædicationem meā, & infirmitas mea in carne, id est, despecta forma paupertatis, contemptus crucis & persecutionis mihi undiq; intentatæ, nulli scandalo uobis fuit. Quæ erat igitur beatitudo uestra? Quid boni tūc assequebamini: quando nihil boni in carne, id est, in formis meis externis apparebat? Necesse est uos spiritus bona tunc sensisse. Nam etiam oculos uestros, preciosissimum corporis membrum mihi dedissetis &c. Igitúr ne inimicus iam factus sum uobis, dum uera loquor, qui prædicatione ueritatis me prius ita uobis deuinxeram? Non puto.

Ambiunt.

Occupatio est, qua simul indicat, contra quos maxime indignetur, nempe, contra pseudapostolos. Dicerent: Paule, tu dicis te nos amare, & illi amare uidentur, qui aliud predicant. Respondet: Sua quærunt in uobis, ut abalienatis animis à me uestris, illos tantum admiremini & magni faciatis, et zelo pro eis ducamini. Zelus quidem bonus

est, sed tunc, cum est ad rem bonam, id est, ubi agitur secundum scientiam uerbi Dei.

Filioli.

Affectu quasi materno mouere uult animos, quemadmodum & Deus Esaiæ quadragesimosexto.

Formetur,

Id est, formam ueram accipiat, quemadmodum formatur foetus in utero. Significat autem Christi ueram formam in eis perijsse per defectionem ad opera. Nam si opera tua te iustificant, iam Christus tibi est inutilis &c.

Vellem.

Affectus paternus est. Id quod per Epistolam non licet, uellem præsens, scilicet, ut pro singulorum uarietate, mutarem uocem, alios obiurgando, alios consolando, alios Scripturis docendo, atque ita singulis seruirem. Iam hæreo, quid faciam de uobis per Epistolam communem, nescio quos obiurgem, quos consoler &c. Obiurgatiõe franguntur adflicti, consolatione abutuntur alij &c.

Dicite mihi.

Legem cessaße probat, per legis, id est, Scripturæ Mosaicæ allegoriam. Sicut Hismaël ex ancilla natus non est hæres Abrahæ, sed Isaac ex libera natus. In illo enim nihil nisi caro est Abrahæ, in hoc autem promißio Dei. Illic natura operata est, hic gratia supra naturam. Sic Euangelica libertas quæ promißionem Dei habet, quæ credita filios Dei efficit, præfertur legis seruituti. Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet &c. Sed hic

serui iusti-

serui iustitiarij ueris hæredibus semper infesti sunt, & se solos hæredes iactitant, donec eijciantur è regno Dei. Exempla hodie uidemus, quæ semper uisa sunt &c.

Alterum testamentum legis ex Sina prodijt, quod conscientias peccato obnoxias damnabat, & sententia Dei tenebat homines in morte. Alterũ testamentum ꝓmißionis, id est, gratiæ dei, quod est Euangeliũ sacrum, proditurum prædicebatur ex Hierusalẽ. Esa. 2. De Sion exibit lex &c.

Nam Agar.

Montem Sina Arabis dici Agar, ait, ut etiam Arabum appellatio ad allegoriam Agar ancillæ faciat.

Confinis.

Potius: Protenditur ad Hierusalem, uel tendit uersus Hierusalem, ut & hoc faciat ad allegoriam: Vos Galatæ, à Hierusalem regredimini ad Sinam siue Agar, cum contrà ueterum exemplo, à Sina pergendum sit ad Hierusalem, à legis seruitute ad Euangelium. Sina tendit uersus Hierusalem, & lex pædagogus est ad Christum. Christi enim regnum per Hierusalem in omnibus ferè Prophetis significabatur, quæ est Ecclesia Dei uiuentis, ne putet me quis dicere de terrestri Hierusalem, quæ nunc premitur Romanorum seruitute. De cælesti Hierusalem quæ est Ecclesia, habes Esa. 50. quæ inter Gentes prius erat deserta & sterilis, dum infidelitati erat obnoxia, nunc autem multo plures habet filios, Iudæos scilicet & Gẽtes ad Christum conuersos, quàm illa quæ habet uirum, id est, quæ inter Iudæos de legis seruitute gloriatur, quasi sola Deum

 habeat maritum

habeat maritum. Esaiæ. 54. Vide, quæ illic diximus.

Promissionis.

Scilicet Dei, ex qua credita nascuntur filij Dei, quod est, nasci, non secundum carnem, sed secundum spiritum. Natura in Sara omnino fuit impotens, ut conciperet, præter hoc quòd etiam iuuenis sterilis fuerat, fides autem qua credidit Abraham Deo, effecit, quod natura non potuit.

Sed quemadmodum.

Hismaël Isaac persequitur, non contrà. Hismaël primogenitum se gloriatur, & carnis iustitia tumens, non potest non odisse eos, quorum iustitia in spiritu est, quos contemnit, hæreticos iudicat &c. sed sententia manet. Eijce ancillam & filium eius &c. Seruus non manet in domo, filius manet in domo, id est, hæres erit in æternum. Ioannis octauo.

CAPVT V.

Epilogus est præcedentium: State in libertate Christi. Si ad Moisen deficitis, CHRISTVS nihil uobis proderit. Nam si per legem, cuius sacramentum est circumcisio, quæritis iustitiam, non opus est uobis Christo ad iustitiam. Quod uero sic quæritis, non inuenietis, nam lex debitis adstringit, non debita remittit, iccirco reos facit homines, absoluere non potest. Hoc enim exigit iure diuino, quod tuis uiribus præstare non potes.

Debitor.

Quia

Quia ipso signo indicat se esse seruum legis, quemadmodum qui baptismum suscipiunt, indicant se omnibus, id est, peccatis, legi, atque adeo ipsi morti cum Christo mortuos, ut iustitiæ, siue Deo uiuant. Erat quidem uere circumcisio carnis apud iudæos pios, signaculum iustitiæ fidei, quæ erat in homine (ut in Abraham) ante circumcisionem, sed hypocritæ quærebant per eam iustificari, sicut & per cetera opera legis, quemadmodum tunc Galatæ, post susceptum Christum, putabant seducti, se non poße saluari, si non circumciderentur, & legi se obstringerent. Quod quid aliud est, quàm à Christo, ad Moisen: à remissione peccatorum, ad onera debitorum: ab adoptione filiorum, ad miseram seruitutem: ab hæreditate cæli, ad damnationem inferorum deficere? Debitor ergo est uniuersæ legis, qui adhuc in operibus hæret, quia fide non est iustificatus, et iccirco necessario adhuc sub damnatiõe est. et c.

Nos enim spiritu ex fide.

Id est, spiritu fidei, expectamus spem iustitiæ. Quid ergo est, quòd semper Paulus loquitur, fide nos iustificari, & iustificatos ex fide pacem habere, hic uero dicit, quòd per fidem adhuc expectamus, & speramus iustitiam, quasi nondum habeamus? Respondeo: Iustitia nostra, quia cœpit, nobis à DEO pro pfecta iustitia imputatur: nondum tamen perfecta est, neque perficitur in hac mortali uita, ut neceße sit, semper esurire & sitire iustitiam, quæ est per fidem. Ergo ex fide iustificati sumus, quia quòd credimus, imputatur nobis ad iustitiam.

Et quia nondum aßecuti sumus, Philip. tertio, expectamus iustitiam, nec solum expectamus iustitiam, sed etiam iustitiæ spem, quam nunc tenemus, expectamus nos per Deum habituros, usque in finem uitæ, id est, non solum speramus ampliorem iustitiam, siue fidei illuminationem, quemadmodum Roman. primo dicitur: Ex fide in fidem, sed etiam expectamus, siue speramus, istam iustitiæ spem toto tempore uitæ nostræ nobis non defuturam, & hoc per spiritum ex fide, id est, spiritum fidei &c. Conuenit tamen magis, ut sic construas orationem: Nos enim expectamus spiritu spem iustitiæ ex fide.

Nam in Christo &c.

Suprà: Nam quicunque baptizati estis &c. Vt sis in Christo, non requiritur, neque circumcisio, neq; præputium, non hoc aut illud externum opus. Non enim in regno Christi sunt sectæ, sed una fides, quæ operatur, non superstitiose, non ficto Dei cultu, sed per dilectionem, hic suam ostendit efficaciam, id est, fratri siue proximo seruit. Atq; hoc addidit Paulus contra somniatores Christianæ libertatis, in quibus fidei fructum proximus non consequitur, de quo fructu infrà uides, ubi fructus spiritus nominat. Vnde et infrà cauet, dicens; Vos enim in libertatem &c. Per fidem ingredimur ad Deum, per charitatem illa fides egreditur, & effundit se in proximū. Ioan. 10. Ingredietur & egredietur &c. Alioqui fides ficta est &c.

Et uel hinc uide, quæ sint bona opera, nempe quæ ex fide per charitatem in proximum fiunt. Si enim solum

lum dixißet Paulus fides quæ operatur, statim interpretati fuißent hypocritæ de suis operibus in cultu fictæ religionis factis, quasi Deus nostris bonis indigeat. Dixit uero, fides quæ per charitatem operatur siue efficax est, ut illa bona opera uideas, quæ in proximi usus præstantur, qui nostris indiget bonis siue externis siue internis, ut iuuemus eum, doceamus, consolemur, omniaq; agamus ei quæ nobis uellemus fieri, & gratis, quemadmodum deus gratis per Christum nostris consuluit rebus.

Currebatis.

Alia metaphora idem dicit quod supra ca. 3. Stulti Galatæ &c. Elegans autem est quod dicit: Currebatis bene secundum Euangelium Christi, quis uos impediuit, id est, pedibus tricas iniecit ne curreretis, hoc est, ut dicit, ne crederetis ueritati? Atque hic est locus, in quo ita mitigat superiorem castigationem ut culpam transferat in seductores pseudapostolos, usq; ad cũ locum, Dico autem &c.

Nempe.

Erasmus addidit, Nempe, ut intelligas responsionem eße ad præcedẽtem interrogationem, quod persuasio mala impediuit eos à cursu. Potes & sine Nempe, legere, Persuasio hæc non est ex eo profecta qui uocauit uos. Deus uocauit uos per gratiam, ut supra ca. 1. in libertatem, ut infra dicitur, persuasio pseudapostolorum quæ post secuta uos auocauit à libertate in seruitutem, contraria est illi uocationi, ergo non ex Deo est. Restat ergo ut sit ex hominibus & hominum inuentum sine uerbo Dei, atque

adeo mendacium & ex diabolo, qui est mendacij pater, quemadmodum alibi doctrinas & traditiones humanas uocat doctrinas dæmoniorum.

Paulum fermenti.

Gnome qua monet cauendum ne fermentum uetus, ut uocat 1. Cor. 5. commisceatur cum pane uerbi dei et Euangelij sacri, ut nihil doctrinæ pharisæorum admittas quacunque specie. Est autem duplex in literis Euangelistis fermentum, aliud Euangelicum & nouum quod mulier ac-
Mat. 13. ceptum abscondit in sata farinæ tria &c. id quod nunc per dei gratiam uidemus quoque fieri. Aliud pharisaicum à quo
Mat. 16. monet Christus cauendum, Paulus uetus uocat, quod nihil aliud facit quàm quod panem uerbi dei corrumpit si uel modicum admittas &c. Simplex purumque uult esse dei uerbum cui nihil addi præcipit lex.

Ego &c.

Id est, per deum meliora spero de uobis quam ut non sensuri sitis pro Euangelio, ubi cognoueritis per alios seducti errorem. Seductores portabunt iudicium dei, uos autem ab errore per ueritatem quam prædicamus liberabimini. Timeant hoc iudicium & hodie, qui officio hodie funguntur pseudapostolorum, nisi nihil uideas in hac epistola.

Ego autem fratres.

Argumentum est à sua persona. Christum crucifixum prædicamus, iudæis scandalum 1. Cor. 1 & hunc esse nostram iustitiam & satisfactionem. Iccirco Iudæi nos ubique in Iudæa & alibi persequuntur, ut uidere licet in Act.

Aposto-

Apostolorũ, Et fortiter perdurat hoc scandalum crucis. Quod si prædicaremus circumcisionem ut necessariam saluti, id est, iustitiam operũ legis (quemadmodũ pseudapostoli faciunt ut non patiantur persecutionem hanc, quemadmodũ in fine epistolæ dicitur) cessaret hoc scandalũ & persecutio nostra, quæ præeligi nus omni gloriæ & huius uitæ tranquillitati. Sic & hodie quis aduersariorũ non sustineret aut etiã magnifaceret nos, si prædicaremus iustitiam operum, nunc aũt cum prædicamus Christum crucifixum, id est, Christum per mortem suam esse iustitiam nostram, oderunt uiri sanguinum omnes.

Abolitum &c.

Quia cessabit prædicatio crucifixi. Si enim, ut supra dictum opera iustificant Christus frustra crucifixus est. Vides itaq; Christum adhuc esse lapidem offensionis & petram scandali, Esa. 8.

Abscindantur.

Vel extirpentur, ne putes Paulum turpe quid dicere de circumcisione &c.

Labefactant.

Id est, animos uestros infirmiores efficiunt impia persuasione, & abducunt ab Euangelio. Hic male uult Paulus non hominibus sed Euangelij subuersoribus. Diligere enim debes proximum, sed non contra primum præceptum siue contra deum.

Vos enim.

Parænefes morum adijcit post prædicatam fidem, quemadmo=

quemadmodum ſolent Apoſtoli, ut indicent ex quo ſonte fluant bona opera, & deinde quæ ſint bona opera &c. Sententiam uero huius loci, contra ſomniatores libertatis Chriſtianæ, quæ non carnis eſt, ſed conſcientiarum corā deo, ſupra diximus. Et Petrus. 1. ep. ca. 2. eandem ita dicit: Quaſi liberi & non quaſi uelamen habentes maliciæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei.

Nam tota.

Locus quo uides quod ſuprà dictum, Chriſtianis nihil præcipi operum, niſi quæ charitatis ſunt in proximum, hæc, ut ſupra dictum, uera fides ſecum adſert.

Quod ſi alius.

Charitas non eſt ubi ſectæ ſunt. Nam ſectæ ſunt fructus carnis, ut infra dicitur, ſi charitas non eſt, neq; fides illic eſt, diſcipuli enim Chriſti charitate cognoſcuntur, ſi non fides illic eſt, certum eſt nullam eſſe ſalutem. In fideles enim quis unquam dixit pertinere ad deum? Ait ergo Si ſectas fouetis, & alius hanc doctrinam & regulam, alius aliam ſecutus fuerit & defenderit, quemadmodum hodie noſtri iuſtitiarij, quid reſtat niſi ut contendentes mutuo uos conficiatis, id eſt, amittatis fidem & charitatem, atq; adeo omnem ſalutem? Quandoquidem non uult Paulus aliam Chriſtianis eſſe regulam quàm eam quam ipſe à Chriſto accepit, ut in fine huius epiſtolæ ſcribit, quod eſt Euangelium gloriæ magni Dei.

Dico autem

Id eſt, dum dico ne uos mordeatis & deuoretis, non

hoc

hoc sentio ut nullam concupiscentiam sentiatis in uobis, quia hoc fieri nequit in hac mortali uita, atq; idcirco manemus semper peccatores, quemadmodũ Ro. 7. uides. Sed hoc ago ut concupiscentiæ carnis, quæ ad iram, libidinem &c. prona est in uobis, non obediatis, ut dum carnem sentitis, non tamen secundum carnem ambuletis. Irascimini inquit. Psal. & nolite peccare, & sol non occidat super iracundiam uestram. Hæc in consolationem nostri scribũtur, non solum ad eruditionem, ne putemus actum de salute nostra dum non inuenimus in nobis, id est, in carne nostra bonum, quemadmodum Paulus dicit: Peccatum est uere in nobis, sed non regnat & non imputatur nobis, dum spiritus contra pugnat, ut paulatim ista uetustas eijciatur. Vult quidem caro malum, sed spiritu nos duci oportet non carnis concupiscentia. Ignorat enim caro deũ et sua quærit. Soli autem sunt Christi qui spiritu dei aguntur. Roma. octauo.

Nam caro.

Non ergo sperato pacem carnalem in hac uita. Ephe. 6. Extra militiam Dauid à deo cecidit in adulterium & homicidiũ, nec resipuit ab impietate ante natũ ex adulterio puerum, ut ista figura uideas semper eße colluctandum cum spiritualibus nequitijs.

Vt non.

Quæcunq; uolueritis faciatis, quia quædam uultis secũdum carnem, quæ non sunt facienda, sed orandum potius. Fiat uoluntas tua. Non est ergo liberum in natura arbitrium,

trium, sine enim spiritu dei non potes nisi malum.

Quod si spiritu.

Hoc est quod alibi dicit, Vbi spiritus domini, ibi libertas, & supra, Vos in libertatem uocati estis &c. Lex est aduersus opera carnis non aduersus opera spiritus, id quod etiam 1. Timoth. 1. dicitur.

Opera carnis.

Id est, ubi caro regnat, hæc & similia non possunt abesse. Sic & fructus spiritus intellige, quos spiritus ubi regnat producit. Caro est dum nostrum sensum sequimur & nostra quærimus. Spiritus est ipsa spiritus dei in nobis motio & actio. Natura mala est, necesse est ergo eam spiritu innouari, quemadmodũ Christus dicit, Nisi quis renatus &c.

Simulachrorum cultus

Erat crassus apud gentes, sed quid nostri iustitiarij aliud quàm simulachra colunt, dum iustitiam & sanctitatem in rebus externis deputant in quibus nihil plus est iustitiæ quàm in simulachris diuinitatis?

Agunt.

Non agunt talia qui à talibus impugnantur dum spiritu contra luctantur, imò patiuntur potius & uellent abesse, Roma 7.

Charitas.

Etiam in aduersarium & lædentem.

Gaudium

Et pax conscientiæ iam pacatæ coram deo propter

remissum

remißum peccatum. Item gaudium & pax cum proximo & creaturis omnibus quantum in nobis est: Proprie *enim respicit in his uirtutibus spiritus enumerandis in præceptum, diliges proximum, quod impletur ubi spiritus rector ac ductor est.*

Lenitas.

Græce μακροθυμία. *id est, longanimitas, quæ diu et semper fert patienter proximi iniuriam & expectat tentatione dei benignitatem.*

Benignitas.

Græce χρηστότης *quam suauitatem potes appellare, cui amaritudinem credo opponi, Ephe. 4.*

Bonitas.

Hanc oportet *suauitati & amicitiæ esse coniunctam ut sit fructus spiritus.*

Fides.

Id est. *fidelitas in proximum* . Nam, *ut supra diximus, his fructib. ī proximū respicit.* Neq; *hic fides potest in deum accipi, quandoquidem hæc spiritus est dei qui hos producit fructus* Hinc *spiritus fidei appellatur.*

Mansuetudo.

Q*uæ non uindicat.*

Temperantia.

Libidinis, *iræ, cibi, potus &c.*

Qui sunt Christi.

Crucifixerunt scilicet spiritu contra pugnante, carnem cum concupiscentijs & affectibus scilicet carnis, ut

& hic

& hic uideas non prædicari nobis libertatem. Eleganter autem dixit: Crucifixerunt, non, quemadmodum solet. Mortificauerunt. Dum enim cœpimus credere, id est, spiritu agi, cœpimus carnem mortificare, non plene adhuc mortificauimus, id quod tamen nobis propter spiritum iã mortificantem imputatur pro perfecta mortificatione, dum enim crucifixum uidemus Adam, spes est ut intereat & à cruce non liberetur.

Ca. 6.

Si spiritu uiuimus.

Spg fidei

Spiritu uiuunt qui credũt. Nam spiritus fidei dicitur spiritus sanctus in nobis, et iustum ex fide uiuere constat. Spiritu ambulant qui carnis concupiscentiæ reluctantur & fidem operibus & beneficijs in proximum testificantur. Ait ergo, Si spiritu uiuimus, spiritus fructus in nobis appareant, aut alijs uerbis, Si christiani sumus christianè uiuamus & conuersemur. Ephe. 4. Vt ambuletis quemadmodum decet propter uocationem qua uocati estis et c. Nõ aũt spiritu ãbulamus si inuicẽ mordemus, et dũ nos, q̄ uidemur nobis falso spirituales, iudicamus nos meliores illis qui adhuc nõnihil superstitionis habẽt & infirmiores sunt, ꝓuocamus eos ad nostri inuidiã. Vide. Roma. 14. Qui non solum istud infirmitatis ferre debemus, sed etiam si quis non destinata malicia sed infirmitate humana et præcipiti occasione in delictum aliquod ceciderit, per quod uel deo soli, uel etiam proximo iniurius esset. Ita uero ferre debemus ut non approbemus, sed ut instauremus eum fidei ammonitione cum mansuetudine, non cum austeritate,

tate, ut faciunt Pharisæi, hypocritæ, & pseudoprophetæ. Ezechiel. 34. Et Paulus, ut istud mansuetudinis & benignitatis in proximum nobis persuadeat, dicit mutato numero grammatico (id quod Hebræis est familiare, ut in Prophetis cernere licet).

Consyderans &c.

Id est: Non solum istud debes fratris tui caussa, sed etiam propter te, quia & tu cadere potes, qui hodie stare uideris: & cras stare potest, qui hodie iacet. Noli altum sapere, sed time. Qui uere aliquid est coram Deo, sibi nihil esse uidetur, & omnes sibi præfert. Qui uero sibi aliquid eße uidetur, nihil uere est coram Deo, sed suum fallit animum. Et quia hoc sibi uidetur, alijs se præfert, & nulla misericordia mouetur ad infirmos & peccantes, nec ullam iniuriam aliorum ferre nouit, contra legem Christi, quæ est, ut diligamus nos inuicem. Porrò, quòd falsa iustitia tumemus, quòd inuidemus alijs, quòd non compatimur, quòd non subuenimus, & consolamur, & erigimus, hinc est, quòd tantum respicimus, quàm infra nos sint alij, iustitia, & donis mentis & corporis, & non respicimus in nos, aut nostrum opus, id est, quid fidei & charitatis in nobis habeamus, ut inde liceret gaudere nobis, & gratias agere coram Deo. Nam ex aliorum peccato ego non iustificor, ex aliorum errore non incedo rectâ, ex aliorum infirmitate non fio robustus fide, ex aliorum ignorantia non fio doctus, sed ex gratia Dei. Quid ergo me comparo, cum imbecillitate, & peccato, & i-

gnorantia aliorum? Quisque onus suum portabit coram Deo. Erit autem charitatis, si tu potius studueris, aliorum infirmitates portare, quàm contemnendo eorum salutem, tibi inde placere, quasi aliquid sis, cum sis ipse nihil. Vides itaq; ab eo loco, quo cœpit parœneses quam diligenter doceat ea quæ sunt charitatis, atq; hanc doctrinam siue legem Apostoli à Christo acceperant, qui uocat hoc mandatum nouum, quod nouis hominibus, id est, credentibus solum conueniat & ab eis suscipiatur.

Communicet.

Matth. 10. 1. Corin. 9. 1. Tim. 5. Vt taceam quàm sæpe deus præcipiat ne Leuitarum obliuiscãtur. Quia hoc hodie in multis locis non curatur, ubi egent præcones uerbi euangelici, paulopost futurum iudicio Dei timemus, ut ex quibusdam surgant uiri loquentes peruersa, ut prædixit Paulus de pseudapostolis Acto. 20. quæ licet alia specie tamen non minus erunt impia quàm quæ in papistis damnamus, tantum ad hoc ut alantur. Ad impietates hactenus omnes dederunt, ad pietatem nemo confert etiam ex eis qui pietatis uolunt uideri cultores. Non frustra ergo ista præcipiuntur, ut omnibus bonis, id est, necessarijs uitæ prouideamus ijs qui spiritualia nobis seminant & laborant in agro dominico. Contra, uero Euangelici prædicatores uictu & amictu, id est necessarijs debent esse contẽti, ne cadãt in laqueũ dum diuites fieri uolũt. 1. Timot. 6.

Nolite errare.

Excusant alij se non habere quod dent, alij negligẽtes cogitant

cogitant, quòd alij dent, ut ipsos non opus sit dare. Inde negligitur prædicator Euangelicus. Homines igitur, inquit, fallere potestis, sed non Deum. Est itaq; hæc cum sequenti generalis sententia, contra omnes qui quærunt excusationes, etiam apud seipsos, ut non seruiant per charitatem, ubi oportet, sed seminant in carne, id est, sua quærunt & amant contra charitatem: qui si facerent ea quæ sunt charitatis, seminarent in spiritu uel super spiritum, atque hinc uitam æternam meterent, qui inde metunt corruptionem. Deus enim reddet unicuique iuxta opera sua, de quo alibi diximus.

Maxime.

Vides hic ordinem charitatis. Alibi quoq; inter domesticos fidei præfert, qui sunt in domo & familia nostra. 1. Timoth. 5. Non ergo oportet docere, quòd omnis ordinata charitas incipit à se, plus satis tua quæris &c.

Videtis.

Post paræneses epilogo claudit Epistolam. Cum iustitia sit per Christum crucifixum, non esse sequendos pseudapostolos, qui alia prædicatione, & gloriam apud homines quærunt, & inuidiam prædicationis crucis declinant.

Videtis.

Scilicet, ut sciatis, quàm solicitus sim pro uobis, ne hic pereatis. Solebat Paulus alias Epistolas notariorum manu scribere, & sua tantum suum subscribere nomen, ut & ipse dicit in fine secundæ Epistolæ Tessalonic.

Quicunque uolunt.

Duas habere caußas dicit pseudapostolos, ut non doceant pure Christum, sed cum Christo iustitias legis. Alteram, ut secundum carnem placeant illis, qui nolunt solum Christum crucifixum prædicari, sed iustitias quoque legis. Alteram, ut ab illis persecutionem non patiantur. De hoc suprà dixerat: Ego *autem fratres, si adhuc circumcisionem prædico &c.*

Nam qui circumciduntur.

Suprà dixit: Qui circumciditur, debitor est totius legis seruandæ, hic autem, quòd neq; qui circumciditur, seruat: quemadmodum & Petrus dicit Actorum. 15. Iugum legis, neq; nos, neq; patres seruare potuiße. Circumcisio enim non est literæ, sed spiritus. Roma. 2. & lex non est externus fucus, sed affectus cordis requirit. Matth. 5. Quia uero affectibus sumus impuris, dum spiritus fidei non purificat, restat ut nemo legem seruet, nisi Deus det Christi spiritum &c. Ad quid ergo circumcisio? Vt, inquit, tantum de uobis secundum carnem glorientur, quòd sint uestri Magistri, quòd poßint promouere ea quæ legis sunt, quòd uos habeant ad omnem suam uoluntatem obnoxios, non ut salutem uestram quærant, sed sua &c.*

Ego uero &c.

Maledicta sit ista carnis gloria, per quam euacuatur scandalum crucis. Absit, ut ego glorier, nisi in cruce Domini nostri IESV *Christi. Hæc est gloria mea & iustitia mea, quòd Christum crucifixum credo & prædico, & propterea et ipse crucem in infirmitatibus meis fero, quia*

aliam iustitiam docere nolo, dum iustitiarij Iudæi me ubiq; persequuntur. Hæc est iustitia mea. Christiani aliam gloriam nesciunt. Iustitiarij sua merita agnoscunt, quib. gratis Christus est crucifixus. Per Christum mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Mundus cœpit mihi mori, & pro mortuo habetur, & ego mundo cœpi mori, & pro mortuo habeor. Si quid adhuc mundus mihi uidetur uiuere, dum caro pugnat contra spiritum, pro uita non habetur, quia crucifixus mihi est per Christum, & pro mortuo mundum habeo. Quid ergo in rebus externis, operibus legis & traditionibus hominum quæram iustitiam, quasi adhuc mundo uiuam & elementis mundi huius? Colos. 2. In Christo non ualent quæ externa sunt ad iustitiam, neq; circumcisio, neq; præputium, addam & nostras stultitias, neq; cappa, neq; platta, neque regula Francisci, neq; pisces, neq; carnes, neq; feriæ, neque horæ canonicæ & rosaria, quandoquidem hæc omnia externa sunt, & ad mundum pertinent, nihil habentia spiritus, & præterea impia, dum per talia quæritur iustitia & sanctitas. Valet autem tantum in Christo noua creatura, id est, mortificatio omnium quæ carnis & mundi sunt, & innouatio per Christi spiritum. Illud solum ad Christum pertinet, quod spiritu sancto innouatur in nobis, donec & ipsi spiritus toti efficiamur in futura resurrectione. Quid ergo nobis cum uetustate & mundi elementis?

Quicunque.

Iuxta hanc regulam, scilicet Dei iustitiæ per Christum

incedunt, id est, credunt, confitentur, docent, quemadmodum iam scripsi. Supra Israëlem autem Dei addit, ut excludat gloriam Israëlis carnis uel secundum carnis propagationem, quam magnificiebant pseudapostoli, suprà capite tertio: Non est iudæus &c. Respexit uero in Psalmum, qui dicit: Pax super Israël.

.125.ps

De cætero.

Id est: Cum contentiosis agere nolo, ne quis etiam exemplo meo contendat. Tessera foris ostendit, cuius Principis militiæ nomen dederim, crucifixum credo, confiteor & doceo: iccirco crucem fero, & quicquid mali est, me appetit, propter istam ueritatem, iustitiam, & satisfactionem, quæ est in cruce Christi. Mea crux declarat cuius sim. Non ergo persuadebũt, ut fiam transfuga, derelicto Principe meo. Si non uolunt nos audire, non sperent nos ad ipsos concessuros, habeant suam sibi gloriam, nos aliam quàm crucis Christi ignoramus.

FINIS.

In epistolam

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS, ARGVMENTVM.

HAec Epistola paucis quidem uerbis, sed mire fœcundis, ita ut nihil addere queas, summam totius prædicationis Paulinæ, atq; adeo Euangelicæ, complectitur. Euangelium enim & Euangelij libertatem ac efficaciam expreßißime prædicat, primis tribus capitibus. In reliquis uero, post fidem qua sola iustificamur, uitam Christianam (ut solet) instituit, qui est fructus internæ fidei, id est, iustificationis. Monet enim, quid omnes, quidq; singuli sequantur.

LOCI VERO INSIGNES in hac Epistola, sunt.

Primus, de diuina prædestinatione, quòd prædestinati sumus, antequam mundus fieret, secundum beneplacitum gratiæ Dei Patris, ut habeamus de quo gaudeamus, nempe salute gratis data, nõ habeamus uero unde gloriemur: qs enim prior dedit Deo, & retribuetur ei? Secundus, de cognitione huius gratiæ. Vult Paulus, ut ferè ubiq; in Epistolis, nos agnoscere uirtutẽ spiritus dei opantis in nobis Est enim immẽsa gratia, è qua tantũ poßides, quantũ credere potes. Non potes autem, nisi per potentiam Dei, nempe eandem C.1.2.3. C.1.

eandem, qua suscitauit IESVM à mortuis, & exaltauit
c. 2. super omnia. Tertius, quòd ad hanc gratiam nihil faci-
c. 2. & 3 unt opera, ut solius maneat gloria Dei. Quartus, quòd
ad hanc gratiam etiam nos Gentes pertineamus, id quod
antea incognitum, nunc tandem reuelatum est, atque hoc
c. 2. loco quàm maxime nos confirmari oportet. Quintus,
de abrogatione legis insignis locus. Non enim in unum
corpus coire potuerunt Gentes cum Iudæis, nisi hoc per
CHRISTVM ablato interstitio. Idem locus est in
c. 4. Coloß. Sextus, de unitate spiritus, & unitate doctrinæ,
postquam unum corpus facti sumus, ne circumferamur o-
c. 5. mni uento doctrinæ &c. Septimus, de unitate Christi &
c. 6. Ecclesiæ, sub typo matrimonij carnalis. Octauus de non
contemnenda, imò nullis humanis uiribus superanda col-
luctatione, aduersus & uim, & insidias ueteris serpentis,
qui solo uerbo fidei superatur.

PEr uoluntatem Dei.

Non ut pseudapostoli, qui ueniunt à semetipsis, non uocati &c.

Benedictus &c.

Statim à gratulatione incipiens Euangelium, id est omnium peccatorum remißionem, & uitæ æternæ hæreditatem, plenis uerbis prædicat, per IESVM Christum, quandoquidem non solum iusti per fidem in Christum facti sumus, sed & filij Dei. Atq; hic mox apertis multisq; uerbis

uerbis interserit diuinam prædestinationem, quæ maximam parit consolationem fidelibus, qui sciunt omnia esse in manu dei, & quicquid illis accidit esse bonam dei uoluntatem. Quid enim mihi dulcius quam scire salutem meam, et præterea hanc uitam meam eße in manu Dei? Non rapiet, inquit, oues quisquam è manu mea, et nemo potest rapere è manu patris mei. Ioan. 10. Alioqui si in manu mea eßet salus, iamdudum perißet, De prædestinatione lege in locis Philippi, de qua hic est tam apertus locus ut nusquam ferè apertior, tametsi eã ubiq; in scripturis deprehendes. Impij ubi Prædestinationem audiunt, uertunt eam ad impietatis argumenta. Verum hoc ipsum ut nõ Paulũ, ita neq; nos terreat, quin libere cõfiteamur, oĩa sicut à deo cõdita sunt, ita ipsius manu gubernari etc.

Benedictus qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus rebus, id est, gratias agimus ei qui ditauit nos multiplici cognitione sui & donis spiritualibus 1. Chorinth. primo.

Christo.

Id est, ad Christum, uel in Christo, id est, per Christũ seu fidem in Christum.

In cœlestibus.

Quater ponitur in hac epistola, id est, in superioribus siue in rebus quæ sunt supra nos, quæ sunt inuisibiles, iudicio carnis non apparẽtes. Hoc dico, ut intelligas quod in fine epistolæ dicitur: aduersus spirituales nequitias in cœlestibus. In aëre enim isto qui etiam cœlum appella-

tur, inuisibiliter agere spiritus nequam, Paulus in hac Epistola non semel dicit &c.

Coram illo.

Vt maxime mundus damnaret. Hic damnatur hypocrisis, damnatur & ficta fides, cum addit: Per charitatem, scilicet inter nos mutuam.

Iuxta beneplacitum &c.

Non iuxta aliqua merita, ut non nostra, sed ipsius gratiæ sit gloria. Dilectos reddit per dilectum.

De qua ubertim.

Legem uni populo dedit, gratiam omnibus prædicari uoluit, ut scias, quòd pater esse malit, quàm iudex. Ezechiel. Nolo mortem peccatoris. Abunde effusum est, tantum accipiamus. Dedit non solum gratiam, sed etiam gratiæ cognitionem. Verum hæc idem sunt.

Proposuit in seipso instaurare &c.

Apocal. 21. Ecce noua facio omnia. Cælestia desciuerant à terrenis, quia pax erat inter ea dirempta per hominis peccatum, quo per sanguinem Christi rursum ablato, rursum innouata sunt omnia, in cælo & in terra. Pax enim antiqua rediit. Sic legis Colos. 1. Pacificatis per &c. Vnde nato Christo canunt Angeli &c.

Vsque ad &c.

Id est: Quousque in plenitudine temporum (hoc est, quando tempora complerentur, in quibus præfinierat Deus releuandum suum Euangelium) dispensaret & distribueret

bueret per totam suam domum in toto orbe hoc arcanũ. Sic in Galatis: At ubi uenit plenitudo temporis &c. Euãgelica gratia erat semper, per quam saluati sunt omnes etiam sancti ante Christi incarnationem, sed reuelãda erat per Christum tempore à patre præfinito. Sic ubiq; loquitur Paulus de reuelato mysterio, arcano, euangelio &c. ut in Gala. Conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Et hoc exoptat Paulus ferè ubiq;, ut indies magis magisq; hæc gratia oculis cordis nostri reueletur, ut infra. Quapropter & ego &c. ut pergamus ex fide in fidem, à gloria in gloriã, sicut à domini spũ, de uirtute in uirtutẽ etc.

Vt simus nos in laudem &c.

Hac periphrasi. Nos qui priores sperauimus in Christo, Iudæos Christo credentes significat, puta se cum alijs Apostolis et discipulis qui crediderunt siue sperauerunt in Christo, antequam Gentes, è quarũ numero sunt Ephesij, qui postea prædicante Paulo crediderunt, de quibus additur. In quo & uos scilicet estis, qui audistis uerbum ueritatis, Euangelium salutis uestræ &c. Hæc est uera huius loci intelligentia si quid tota requirat epistola, respicias, Gentes enim docet æque ac Iudæos ad hanc reuelatam Christi pertinere gratiam, ut uides quoq; ca. 2. & 3. Icc irco nunc in græcis corrupte legi. ἐν ῷ καὶ ἡμεῖς pro ὑμεῖς, ut reliqua taceam, etiam ipse contextus orationis ostendit, & sic quoque legit uetus interpres & Ambrosius quoque interpretatur.

Obsignati

Obſignati. &c.

Sicut uides.2.Cor.1. Hic eſt ſpiritus promiſſionis, id eſt, ſpiritus promiſſus, quem promiſit Chriſtus credentibus, ut ſæpe legis in Ioanne, qui quia datus eſt in cordibus noſtris, certum pignus eſt quod deus in reliquis promiſsis non fallet, quod deus pro iuſtis acceptet nos, quandoquidem etiam nunc dignatur in nobis habitare. Roma.8. Ipſe ſpiritus teſtimonium &c. In redemptionem, inquit, acquiſitæ poſſeſſionis, id eſt, ut redimatur & noſtra ſit acquiſita per Chriſtum nobis hæreditas, ut inde laudetur gloria ipſius.

Quapropter &c.

De hoc ſupra dixi.

Quæ ſit excellens &c.

Hic uides quàm ingens potentia & efficacia ſpiritus Dei operetur in nobis fidem, nẽpe eadem quæ ſuſcitat Ieſum à mortuis & regnare fecit ſuper omnia, ut ſcias nihil habere fidei, qui facile ſe credere poſſe putãt quaſi ſuis uiribus aut uoluntate, atq; hinc contẽpta fide, opera magnificiunt in iniuriam noſtri redemptoris cuius ſolius operibus ſaluamur. Contra quos eſt quod ca. ſequenti aperte dicitur. Gratia eſtis ſaluati per fidem, et hoc nõ ex uobis, Dei enim donum eſt ne quis glorietur.

Supra omnem &c.

Id eſt ſuper omne quicquid altum eſt ſiue in cœlo ſiue in terra. Sic enĩ ipſe dixit: Data eſt mihi omnis etc. Quid trepidamus ſub iſto rege, imò, ſub iſto capite cum quo

unum

unum ſumus, nempe membra eius? Omnia enim & ipſi in Chriſto poſſumus & domini ſumus mortis, peccati, inferorum & omnium. Quis enim ſeparabit nos à charitate dei? &c. Hæc ca. 2. ſic dicũtur: Conuiuificauit &c.

CAPVT II.

CArnales cum audiunt fidem prædicari ſecuri uiuũt; quaſi iam tales ſint quales eos Deus eſſe uelit, & libertatem carnis arripiunt pro libertate ſpiritus, quæ non eſt niſi ubi domini ſpiritus eſt. 2. Corin. 3. ubi uero domini ſpiritus non eſt, ibi adhuc ſeruitus legis eſt atq; adeo maledictio. 1. Timot. 1. Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis &c. Eſt autem illic ſpiritus dei, ubi ſemper agnoſcitur & quod fuimus & quod facti ſumus. Fuimus non hoc uel illo ſolum opere ſed ex ipſa natura filij, iræ et maledictionis, ne quid boni in te cogites fuiſſe unde tibi aliquid arroges, quæ arbor quæſo quos fructus facere potuit niſi malos? ut nihil uideas eſſe liberum arbitrium, ducebamur ſecundum concupiſcẽtias carnis, ut dicitur Roma. 1. ſecundum omnem uoluntatem principis aëris huius, id eſt, mundi; qui alibi deus quoq; huius ſæculi dicitur, qui adhuc agit in illis qui non obediunt ueritati, ſed mendacio, ut dicitur. 2. Teſſa. 2. ſicut in pijs agit ſpiritus dei. Roma. 8. Facti uero ſumus, non ſolum iuſti non imputante deo propter Chriſtum peccatum, ſed etiam domini omnium, ſuper omnia cum Chriſto, & per Chriſtum exaltati in

dextera

dextera patris in cælestibus, ut diximus capite superiori, & hoc nullo opere nostro uel merito, quippe dum adhuc eramus mortui per delicta & natura filij iræ, id est, ut dicitur Rom. 5. dum adhuc eramus inimici eius, tantum abest ut mereri potuißemus. Hæc ergo duo spiritus in nobis nos agnoscere facit, alterũ efficit ne securi uiuamus quasi iam saturi gratia dei, quia hic semper spiritus postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus, dicens: Infelix ego homo &c. Alterum uero efficit ne aliquo peccatorum quantumuis magnorum, quorum nobis conscij sumus, respectu desperemus. Alterum facit ne ingratus sis, alterũ ut coram deo persistas sciens non hoc tui negotij eße, sed dei gratiæ. In altero uidemus nos publicanos, peccatores & meretrices, in altero misericordiam per Christum consecutos. Vtrunq; Paulus uult ubiq; agnosci, alterum ne ad ipsum reuertamur, alterum ut in ipso crescamus pergentes ex fide in fidem donec, ut infra dicetur, crescamus omnes in uirum perfectum &c Porrò dum sic paulatim per Christum spiritu dei uegetata crescit arbor bona, qui fiet ut non etiam bonos fructus sua sponte suoq; tempore proferat? ut discant tandem erubescere qui dicunt nos prohibere opera bona, dum docemus secundũ Euangelij uirtutem ex operibus neminem iustificari, boni fructus non faciunt arborem bonam, sed indicant, bona uero arbor non indicat, sed facit fructus bonos. Vnde qđ hic ait, Ipsius opus sumus, nõ de creatione dicit qua nascimur ob peccatum Adæ filij iræ, sed de re creatione qua

nascimur

nascimur ex gratia filij dei per fidem in Christũ, ad opera bona non quæ sibi præstituunt operarij illi, sed quæ præparauit deus ut in eis uiueremus, quæ sunt charitas, gaudium, pax &c Gal. 5. Talia non nos efficimus, sed spiritus dei in nobis, per quem natura mutata in gratiam, non carnis sed spiritus proferimus fructus.

Quapropter &c.

Hic est egregius locus pendens ex præcedẽtibus, quod gentes quoq; pertinẽt ad benedictionẽ seminis Abrahæ, id est, Christi. Sic enĩ accepit promissionẽ Abrahæ, In semine tuo benedicẽtur omnes cognationes terræ. Item, patrem multarũ gentium uocaui te. Id quod alijs ætatibus nõ innotuit, quemadmodũ & infra cap. 3. Iudæi qui non erãt docti hoc ipsum spiritu, sentiebant Messiæ regnũ & benedictionẽ ad se tantum pertinere. Deinde ut maxime uiderent in scripturis, ut sæpe in Esaia & aliâs in psalmis & prophetis, gentes quoq; uocãdas, tamen se meliores fore et præferendos somniabant, sicut uidemus in epistolis Apostolorũ pseudapostolos qui erant ex Iudæis sensisse. Vt interim nõ dicam quod ex multis locis sibi fingebant carnale regnũ super gentes futurũ, ut ibi: Subiecit populos nobis &c. Iccirco tunc non erat adhuc reuelatum hoc grande mysteriũ, quod scilicet gentes quoq; ad semen pertinerent Israẽlis per fidem in Christum, quæ hactenus alienæ fuerant à testamentis promissionum dei, p quas creditas saluamur, atq; adeo quæ fuerant sine deo uero in hoc mũdo. Hoc mysteriũ adeo occultũ erat ut ne

Petrus

Petrus quidem accepto etiam spiritusancto cognorit. Siquidem reuelatione singulari hoc didicit, ut legis Acto. 10. & .11. Vnde illic quoq; dicitur: Et obstupuerunt ex circuncisione fideles qui uenerant cum Petro &c. Hoc Paulus & Barnabas sic interpretantur ex Esaia, Acto. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbũ dei &c.

Ipse enim est pax nostra &c.

Quia ergo Gentes cum Iudæis futuri erant unum corpus sub uno capite Christo, & unum ædificium constructũ supra fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, quod positum est supra petram Christum, hoc fieri non potuit, nisi interstitium quod separabat duos maxime diuersos populos, auferretur, erat autẽ Lex quam uocat inimicitias in carne Christi, id est, Iudæis. Lex, inquam, non ceremoniarum solum, ut quidam interpretantur, aut iudiciorum, sed & morum, siue, ut hic Paulus dicit: Lex mandatorum quæ erat sita in decretis et statutis dei, quæ omnes homines reos agebat, & sub maledicto tenebat. Et Col. 2. Deleto quod aduersum nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit èmedio affixum cruci &c. Hæc lex circuncisione inaugurabatur. Circuncisio separabat à se in circuncisos, ut secundum legem immundos. Porrò, circuncisionem sequebantur omnia onera legis, sicut Paulus dicit Gal. 5. Testificor rursus omni homini circuncidenti se, quod debitor est uniuersæ legis faciẽdæ. Hæc onera neq; nos, inquit Petrus Acto. 15. neq; patres nostri portare potuimus. Et Paulus

Actorum.13. A peccatis non potuistis in lege Moisi iustificari. In lege, dicit, non in ceremonijs solum. Et Roman. 8. Quod inpoßibile erat legi &c. Necesse ergo erat, eam abrogari, tantum aberat, ut Gentibus quoq; imponeretur. Iudæi lege fidebant, qua ablata, uiderunt se nihilo Gentibus meliores, quandoquidem scriptura conclusit omnia sub peccato. Gentes enim palàm erant impiæ, Iudæi & ipsi inuenti sunt peccatores, postquam intellexerunt opera legis non iustificare. Porrò lex, quia Dei erat, abrogari non potuit, nisi ei in æternum satisfieret, cui satisfieri per nos, ut dictum est, non potuit, neceße erat illum legi subdi, & legem implere, qui legi nihil debuit. Hic est Christus IESVS, qui per sanguinem crucis fecit sibi Gentes & Iudæos unum corpus, nostra sanctificatio, iustitia, & satisfactio, cui quisquis fide adhæret, cum eo unum est, & habet quicquid ipse habet. Satisfactio ergo Christi mea est, ita ut lex me iam non damnare poßit, & peccatum quod in carne mea reliquum est, mihi propter fidem in Christum non imputetur. Itaq; iam spiritus Christi in credentibus hoc agit, ut ex corde diligatur Deus & proximus, id quod lex requirebat quidem, sed dare non potuit. Litera enim erat, non spiritus. In quibus autem non est spiritus Christi, hi stulte de abrogatione legis gloriantur. Cætera omnia quæ non continentur sub dilectione Dei & proximi, ita media sunt, siue sint in lege Moisi, siue non, ut facere tibi liceat, uel omittere, prout tibi placuerit, modo uites scandalum, & in eis rationem non colloces tuæ salutis. Cæterum quæ

 huc perti-

huc pertinent, de abrogatione legis, uide in locis Philippi. Igitur testamenta & promissiones Dei, iam æque nostra sunt ac Iudæorum &c.

CAPVT III.

TEstimonium & signaculum ueræ prædicationis est non negare nomen CHRISTI in persecutione, unde omnibus qui audierunt uerbum, luce clarius fit, spiritum Dei in cordibus Doctorum confirmasse hoc uerbum, pro quo uincula non uerentur. Hoc autem testimonio auditores confirmati, gloriari possunt apud se, certi quòd Dei audierint uerbum. Vnde infrà: Quapropter peto &c. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis: mercenarius autem &c.

Dispensationem.

Act 22. Vade, quoniam in nationes longè mittam te. Et ad Ananiam Act 9. Vas electionis est mihi iste &c.

Secundum reuelationem.

Galat. 1. Notum uobis facio Euangelium &c. Vbique uult se agnosci ministrum uerbi à Deo missum, sicut abunde uides in 2. Epist. ad Corinth. ut omnino certi simus, hoc uerbum esse Dei, quod Paulus prædicat &c. Hoc non est gloriam tuam, sed illius gloriam à quo missus es, quærere &c. Propterea Paulus in se descendens, addit: Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc. Quasi dic. Deus ita uoluit operari per me, minimum, inquam, non

solum

1 Co. 15.

solum quòd persecutus sum Ecclesiam Dei (sicut alibi dicit) sed & quòd ex me nihil sum, quòd hæc non sunt humanarum uirium, ut maior uideatur gloria Dei, dum tam stupenda operatur, per infirma uascula fragilitatis humanæ, ut hic nemo intendat in hominem, dum uirtus Dei per hominem utcunq; despectum operatur. Sic habes. 2. Corinth. 4. Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis.

Imperuestigabiles &c.

Infrà: Quæ sit latitudo &c. De his Psalmo quinquagesimo: Incerta & occulta &c.

Communio.

Scilicet, quòd Euangelium dispensandum sit, non solum Iudæis, sed & Gentibus &c.

Principatibus ac potestatibus.

Eosdem intelligo, de quibus legis infrà ca. 6. Verba hæc sunt spiritu feruentia. Quasi dic. Ita in lucem proferimus hoc mysterium nobis creditum, ut sentiat totum inferorum regnum, cui dicimus: Tollite portas Principes &c. útque sentiant, quotquot sub Principatu tenebrarum militant, ut feliciter ipsa ueritatis luce deuicti, in regnum lucis concedant. Suspicabatur quidem Diabolus, aut etiam Scripturis prædicentibus sciebat fore, ut genus humanum redimeretur, sed hanc tam uariam & ignotam Dei sapientiam qui scire potuit? quòd Deus per mundi stultitiam eßet ducturus ad sapiētiam: per crucem, ad gloriam: per mortem, ad uitam: sicut legis priori Corinth 2. Si Principes sæculi

hanc Dei sapientiam, quæ est crucis stultitia, cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quod hic in cælestibus addit, suprà exposuimus. In superiore aëre, id est, in mundo hoc in quo uiuimus, unde Princeps mundi dicitur &c.

Huius rei gratia &c.

Hoc est, quod suprà diximus, quòd Paulus ubique uult à nobis agnoscitam immensam gratiam & incomprehensam, ut spiritu fortificati, intelligamus huius gratiæ altitudinem, quia penetrat cælos: profunditatem, quia penetrat inferos: longitudinem & latitudinem, quia replet orbem terræ, ut in Psalmo: Misericordia Domini plena est terra. Item: Domine Deus noster &c.

Ex quo &c.

Ipse est caput & cælestium & terrestrium, omnia coniungens in unum, in cælis & in terris. Ipse est paterfamiliâs & gubernator suorum, ex quo fluit omnis cognatio spiritualis, ipse est Pater omnium. Ergo qui ei per fidem coniunguntur, non iudicem formidabunt, quia Patrem habent &c.

Internum &c.

Id est: Vt internus homo spiritu crescat & fortis fiat, infrà capite quarto: Donec perueniamus omnes.

Fixis &c.

Vt sit charitas non ficta, ut alibi dixit, sed constans & perpetua etiam, si tibi malefit ab ijs quos diligis. Hæc ita cōstans constantis intus fidei indicium & fructus est.

Et fundamento

Et fundamento iacto.

Vide, quod fundamentum uocet Paulus, nempe fortificatum spiritu fidei interiorem hominem, qui charitatis non fictæ producit fructus. Hoc, inquit, ceu fundamento iacto. Deinde pergendum est ex fide in fidem, ut indies augeatur in nobis cognitio incomprehensæ gloriæ gratiæ Dei, ut non falsò æstimemus nos comprehendisse, id quod lege. Philippens. tertio.

Cognoscereque.

Scilicet, ut ualeatis. Non potest gratia & misericordia Dei cognosci, nisi per Christum, ut habes. 1. Corin. 1. Hanc enim aßecuti sumus per Christū, nullo nostro merito, sed quia ardenter et supra modum dilexit nos, ita ut tradiderit animam suam pro nobis, qua charitate nulla maior est, ut ipse quoq; dicit in Ioanne. Quotusquisq; est, qui tam insignem Christi in nos charitatem agnoscit? Hanc autem scire non leue quiddam est, sed, ut hic Paulus ait, quod eminet & supergreditur omnem humanam cognitionem & scientiam. Cognitioni ergo in datiuo legendum.

Vt impleamini.

Vt crescatis ad omnia quæ Dei sunt, ut nihil cognitionis spiritualis uobis desit, ut crescatis in uirum perfectum &c. ut infrà dicemus.

Vltra omnia.

Non frustrabimur nostris uotis, qui Patrem habemus omnipotentem, qui potest supra modum præstare quæ petimus, & plus quàm petimus &c. In Luca: Si uos cum sitis

 mali &c.

mali &c. Iuxta uim suam, qua ipse agit in nobis, ne quid in hac gratia nostro conatui ascribamus, quoniam ipsius solius est gloria, nostra autem gratiarum actio &c.

Saeculi.

Illius, quod succedentibus perpetuò saeculis, nunquam habebit finem. Ista periphrasi, Hebraei uulgo exprimunt aeternitatem, sicut saepe uides in sacris literis.

CAPVT IIII.

POst tanta fidei mysteria, paraeneses morum, ut solet, docet, admonens, ut sancte uiuant, qui tam sancta uocatione à Deo honorati sunt. 1. Tessalonic. 4. Non uocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem. Suprà capite secundo: Ipsius sumus opus &c. Et ut hoc agat, primum omnium, morum Christianorum tangit caput, scilicet, ut seruetur in mansuetudine charitatis unitas spiritus. Vnum enim corpus, non nisi uno spiritu regi potest & uiuificari, & praeterea, omnia unde Christiani sumus, unitate nobis commendantur. Vnum, inquit, corpus &c. Hanc unitatem rescindunt, qui selectis operibus nouas religiones instituunt, qui doctrinis humanis & uarijs ab unica & germana Christi doctrina deficiunt. Vnde natae sunt superstitiones, sectae, haereses, per quae dum quisque se alijs praefert diabolica superbia, Christi in totum fides extinguitur, sicut factum uidemus. Talia apud Corinthios coeperant, quibus scribit Paulus priori Corinthi. primo.

Obsecro

Obsecro uos fratres &c. Unitatem ergo spiritus unitas doctrinæ consequitur, per quam crescimus in agnitionem Christi, donec fiamus uiri perfecti, ut non amplius simus pueri &c. Porrò huic unitati nihil officit, quòd alij alijs insigniti sunt à spiritu sancto donis. Nam hæc nihil aliud sunt, quàm ministeria unitatis ædificandæ, quibus si prodes Ecclesiæ, rectè ea habes, & augentur tibi, non solum dona hæc, sed & gratia. Si uero non prodes Ecclesiæ per hæc, sed negligis donum quod tibi datum est, uel abuteris eo in tuam superbiam, lucrum, aut etiam in proximi scandalum, non rectè habes, & auferetur iusto Dei iudicio à te, & gratia, & donum. Sic enim habes in Euangelio: Omni habenti dabitur &c. Hæc ita expreßit Paulus priori Corinth. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, non suam, sed Ecclesiæ. Alij datur per spiritum etc. ubi dicitur, quòd spiritus sanctus diuidit singulis prout uult. Hic autem, quòd unicuique datur gratia iuxta mensuram donationis Christi. Ergo Christus & spiritus sanctus unum operantur, & unius sunt uoluntatis. Hinc fit, ut quidam facti sint à Christo Apostoli, qui mitterentur in omnem terram: quidam prophetæ, id est, scripturæ interpretes: quidam Euāgelistæ, id est, Apostolorum ministri, et uerbi, ubi Apostoli nō sunt præcones: quidā Pastores. i. Episcopi in singulis ciuitatibus: quidam Doctores. i. qui fideliter docent ab alijs accepta. Utcunque ista distinxeris, ministri uerbi Dei significantur, ita clare, ut nemo aliter intelligere poßit. Nam additur: Ad instaurationem sanctorum &c. ut

non putent se hic comprehensos, qui nulla Ecclesiæ utilitate, solis inflantur nominibus & titulis. Hæc dicit Paulus de unitate Ecclesiæ, & de uarijs donis eius. Verum obiter quædam alicubi interserit, quæ seorsum uidebimus.

Captiuam duxit captiuitatem.

Exposuimus in Psal. 67. & propter hanc particulam non citat Paulus hunc locum, sed propter hanc quæ sequitur: Dedit dona hominibus. Dona sunt illa quæ suprà diximus. Verum occasione huius citatiõis, in qua dicitur: Cum ascendißet in altum, interserit hoc. Cæterum illud: Ascendit &c. nullius iustitia accepta est coram Deo, nisi illius qui ad nos iustificandos descendit. Sic Ioan. tertio: Nemo ascendit &c. Lucæ ultimo: Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Vt impleret, inquit, omnia, qui à resurrectione dixit: Data est mihi &c.

In uirum perfectum &c.

Hæc quidam retulerunt ad quantitatem & ætatem corporum resurgentium in nouißimo die, q. scilicet resurrecturi simus ea ætate, qua mortuus est Christus. Sed pudet refellere tam manifestarium errorem huius textus non intellecti, cum tamen apertiß. dicat de doctrina, qua crescimus ad perfectionem cognitionis Christi, siue qua crescimus plene in Christum, ut tandem nullis externis rebus aliquid tribuamus, quemadmodum dũ adhuc paruuli quibusdam operibus & ceremonijs manuducimur (lex enim pædagogus est in Christum) sed planè & plena fide agnoscamus solũ Christum nostram eße salutem. Eò dũ ueneris, in

uirum

uirum euasisti perfectum &c. Attende hic quod multa astutia doctrinæ hominum hanc perfectionem & ædificationem nituntur impedire.

Metaphoram membrorũ corporis et capitis lege elegantissime. 1. Corin. 12.

Veritatem.

Hebraico more fidem appellat. Elegans ergo connexio est, Veritatem sectantes in charitate. Veritas sana doctrina & fides idem sunt, quarum fructus est charitas.

In quo totum corpus &c.

Sicut spiritus uitalis diffluit in omnia membra non æque sed pro membri mensura & utilitate &c.

Subministrationis.

Id est, officiorum.

Hoc itaque dico.

Redit ad id quod instituit in principio huius capitis, ut spiritu renouati in nouitate uitæ ambulemus.

In uanitate.

Vide quæ portenta impietatis illic sint ubi uerbi illuminatio non est. Impietatis pœna cæcitas est. Cæcitatis fructus obstinatio & securitas, Esa. 28. percussimus fœdus &c. Et. 30. Cesset à facie &c.

Veritas in IESV.

Omnia ueteris hominis sunt falsitas, mendacium, uanitas, cæcitas, infidelitas, quibus omnibus ueritas IESV opponitur, quæ non solum in uerbis sed & in factis quæ Christi deiq; sunt intelligenda est, unde supra: Veritatem sectantes &c. Ioan. 3. Qui autem facit ueritatem &c.

Siquidem.

Vel si sane.

Deponere·

Scilicet didicistis &c·

Iuxta Deum conditus.

Supra ca 2 Nam ipsius &c·

Veritatis

Addit, contra iustitiam & sanctitatem uanitatis & hypocriticæ fidei, & speciosæ superstitionis. Veritatem enim suo more fidem appellat & Dei cognitionem·

Et ne contristetis.

Tam in nobis quam in auditoribus, solent enim piæ mentes dolere si turpia audierint, in quorum cordibus habitator est spiritus ille Dei· Scriptura affectus humanos Deo tribuit, non enim aliter nobis loqui potest· Sicut igitur Deus dicitur gaudere de salute nostra, ut uides in parabolis Lucæ·15 ·sic rursũ dolere de peccatis nostris, hæc enim odit, Gen·6 · Videns Deus quòd multa malicia hominum etc· Satis ista admonitione à turpibus deterret &c·

Obsignati.

Supra capite primo·

In diem redemptionis·

Id est, usq; ad eũ diem in qua plena accepta hæreditate plene redimemini, Id est, in diem aduẽtus Christi. Roma· octauo· Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri·

CAPVT V·

Imitatores

Imitatores Dei.

HOc exponitur Matth. 5. ut nõ solum amicos sed & inimicos beneficio afficiamus, ut, inqt, sitis filij patris uestri qui in coelis est, q solem suum &c. Et addit Paulus summum illud charitatis exemplar, dicens: quemadmodum & Christus &c.

Oblationem.

Post hanc unam Christi oblationem iam nõ amplius est oblatio pro peccatis. Hæc enim in æternũ sanctificat, ut est in ep. Heb. Christus seipsum tradidit & pater tradidit eum, Rom. 8. Obtulit se & oblatus est, Esa. 53. Quid ergo trepidamus pro quibus tantũ precium persolutũ est? Sed hoc agit Paulus ut charitatem rependamus in fratres qui tanta charitate & liberati & filij Dei facti sumus.

Ne nominetur.

Pius enĩ homo talia non dicit neq; libenter audit. Vide ergo ne et tu pecces ĩ te et cõsciẽtiã lædas auditoris, scãdalo ei factus. Lege Mat 12. ex fructu arbor cognoscitur etc.

Gratiarum actio.

Id est, talis sermo unde laudetur Deus, unde sanctificetur nomen eius, supra, si quis est bonus ad ædificationem. Sic infra loquentes uobismetipsis per psalmos etc. Libidinem quàm detestetur Deus, exẽplo satis horrendo sunt diluuiũ et ĩteritus Sodomorũ. Auaritiã autem Paulus ubiq; ferè scribit idolorum seruitutem, ut scias ex diametro pugnare cum Deo uero. Vnde Christus: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Qui enim pecunia fidit,

fidit, deo fidere non potest. Vnde. 1. Timot. 6. Aestimant quaestum pietatem &c.

Decipiat.

Hi sunt qui impudice hodie dicunt simplicem fornicationem non esse peccatum, quam tamen Paulus damnat, & ob quam uitandam uult ut quisq; suam habeat uxorē. Et Christus Matth. 19. dicit, deum in hoc instituisse ab initio matrimonium & inseparabili coniunxisse uinculo, ut essent duo in carne una. Sunt etiam qui auaritiam defendentes impijs uerbis derident & contemnunt pij patris dei curam, prouidentiam & solicitudinem erga nos, dicentes: Nisi tu prouideris tibi quis tibi prouidebit? Et cum Iuuenale: Nemo unde has habeas quaerit, sed oportet habere.

Ira dei.

1. Corinth. 10. ut nō simus cōcupiscentes malorū &c.

Sed omnia dum produntur &c.

Sicut uobis contigit in salutem ut uestrae tenebrae uerbo dei detegerentur, ut erubescentes resipisceretis, sic & ijs qui adhuc in turpibus uiuunt, continget in salutem si ipsis eorum scelera & errores uerbo dei aperiantur, ut suam agnoscentes foeditatem, resipiscant. Hoc non fit in simia aliqua sed uulnere quo mordetur à uerbo dei conscientia auditoris, sicut habes. 1. Corin. 14. Occulta cordis eius manifesta fiunt &c.

Dicit.

Scilicet deus. In scripturis non reperitur, sed prophe

tarum

tarum more uidetur dicere, dicunt enim ſubinde. Dicit dominus &c.

Videte igitur &c.

Non more gentium in tenebris ſed in lumine ſapientiæ dei, id eſt, ut infra dicitur, intelligentes quæ ſit uoluntas domini, ut eius, non ueſtram ſequamini uoluntatem.

Redimentes occaſionem.

Id eſt, quærentes utcunq; poteſtis temporis opportunitatem ad benefaciendum & curandum ea quæ Chriſti ſunt, ut quacunq; occaſione promoueatis rem Chriſti & pietatis opus, eo quod dies mali ſint, id eſt, non ſolum externa perſecutione pleni, ſed multo magis ſeductione & impedimento pietatis & uerbi Euangelici. Diabolus enī ab omni parte negocium Euangelicum nititur impedire, Ita hic Paulus uocauit dies malos, quemadmodum .2. Timoth.3. tempora periculoſa. Sic quoq; in ſcripturis appellantur, dies ſalutis, dies perditionis, dies iræ &c. non propter tempora quæ à deo creata bona ſunt, ſed propter ea quæ in temporibus illis quibuſdam hominibus accidunt.

Et ne inebriemini uino.

In quo, id eſt, in qua re ſiue in qua uini inebriatione, ut non referas ad uinum ſolum, hoc enim eſſet uinum creaturam dei bonam condemnare. In quo eſt luxus, id eſt, ſuperfluitas & nulla neceſſitas. Hinc leuitas cordis ſequitur, ſtultiloquium, inanes fabulæ, facetiæ, ineptæ cantiones, indecora conuerſatio, ob quæ ut maxime nihil aliud mali facias tamen deſpiceris, deſpecta autem noſtra

conuer-

conuersatione, quis recte sentiet de nobis? Itaq; hæc res uergit in blasphemiam nominis Christiani. Et præterea inebriatio teipsum uertit à Deo, uude monet saluator Lu. 21. Attendite uobis ne grauentnr corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, & superueniat in uos repentina dies illa.

Sed impleamini spiritu.

Hoc opponit inebriationi uini. Id est, potius hoc contendite à Deo, ut ebrij sitis spiritu, id est, affectu Dei, ut sapiant uobis illa quæ sunt spiritus, ut si conuenitis ad mutuo uos cõsolãdos collatio uestra sit de scripturis sanctis, psalmis, & alijs Dei laudibus, ut canatis domino spirituali cantico in cordibus uestris. Quid quæso dulcius foret conscientijs nostris, quàm sic collocutos fuisse? ut non dicam quãta promotione uerbi Dei hoc fieret, dùm sancta conuersatione non solum nos iuuaremus, sed & multos prouocaremus ad sanctificandum nomen Domini, quod tales haberet seruos contra quos ne aduersarius quidem haberet, quod iuste reprehenderet. Verum ubiq; serpens ille antiquus insidiatur, & quisq; ubi scripturas conferimus, itemq; in alijs plus cæteris sapere uult, unde contentiones et dißidia, quæ Christianam uiolant charitatem, oriuntur. Iccirco addit Paulus, Subditi uicißim alius alij cum timore Dei, ut quisq; timeat Deum, & cedat fratri, non plus sapiens quàm oportet, Ro. 12. Honori inuicem præuenientes. Atq; hac occasione iam subdit de iure prælationis & subditionis. Primum inter coniuges, deinde inter

inter parentes & filios, tertio inter dominos & seruos. Sicut domino. 1. Petri. 3. Sicut sara.

Vxores.

Si omnia rhetorum argumenta in unum conijcias, non tam persuaseris coniugibus dilectionem mutuam, quàm hic Paulus. Carnalis homo hæc superuacua iudicat, sed uides quàm magnifecerit Paulus, ut interim ex unitate coniugum depingat nobis illam incomprehensam unitatem Christi & Ecclesiæ, & charitatem immensam qua nos prosecutus est Christus. De qua re lege Lutherum de libertate Christiana. Diabolus nanq; qui scortationes promouet & adulteria amat, cuius doctrina quoq; est, ut Paulus ait: ista prohibitio matrimonij qua stabilitus est cœlibatus clericorum ut liberius libido propagaretur, sicut uidemus, miro ingenio conatur ut separet quos deus coniunxit, semper enim suis ordinationibus subuertere nititur, quod Deus ordinauit. Et certe iam malo nostro experti sumus, qua cæcitatis pœna plectẽdi sint, qui quæ Dei sunt contemnentes meliora facere uolunt. Quanta uero diabolus discordiarum semina etiam inter coniuges seminet, qui nullo Dei timore tenentur, horror est uel hodie intueri, & multæ animæ pereunt, dum non est spiritualis homo qui sancto consilio adiuuet laborantes. In quo deploranda sunt nostra tempora, quibus etiam ui prohibemur, ne cõsilio aliquo subueniatur perituris. Hinc ob duritiam cordis Iudæorum olim permisit Moises libellum repudij, Matth. 19.

Caput

CAPVT VI.

In domino nõ contra dominum.

HOnora dicit, non solum dilige. Honor enim habet timorem annexum, quemadmodum suprà dixit. Vxor autem ut reuereatur uirum. Vult enim ut filij in omnibus obediant parentibus et seruiant eorum uoluntati, & si opus fuerit etiam necessitati. Hoc præceptũ non simpliciter est primum in promissione, id est, quod habet hanc carnalem promißionem annexam ut bene sit tibi &c. ut uides Exo. 20. Et uel hinc accipe quod etiam carnales promißiones Christianis non sunt aspernandæ. Vult enim deus in omnibus magnificari & credi suo uerbo ut iustificetur. De qua re lege in locis Phil.

Serui.

Coloß. 3. 1. Petri. 2.

Quod superest fratres &c.

In fine huius Epistolæ diligenter monet ne secure post quam iustificati sumus uiuamus, siquidem non eße uisibiles hostes sed inuisibiles, & potentes qui nostram inuadunt, & insidijs & aperto Marte, salutem. Sic quoq; 1. Pet. 5. Sobrij estote &c. His humana ui resisti nõ potest, quia non sunt caro & sanguis, id est homines, sicut Christus accipit Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed hic opus habemus fortitudine spiritus, ut spiritibus spiritualibus armis resistamus, nempe, uerbo dei si ei forti fide inhæserimus.

State igitur.

Verbis

Verbis militaribus scriptura sæpe libenterq; utitur.

Lumbos.

Nam ea pars corporis baltheo laminis cõserto in bello tegi solet. Esaiæ undecimo de Christo: Et erit, inquit, iusti tia cingulũ lumborum eius, & fides cinctorium renũ eius.

In omni deprecatione.

Hic uide, quanta improbitate, hoc est, sine cessatione, quanto feruore & studio, inuocandus sit Deus, in primis, ut mittat operarios in messem suam, Matthæi nono, et nõ solum hoc, uerum etiam, ut iisdem operariis detur robur spiritus, ut cum fiducia & animi libertate loquantur uerbum, id quod dum Paulus postulat, certe nostram, qui omnia præsumimus, temeritatem accusat. Vnde orant discipuli Actorum quarto: Et nunc DOMINE, respice in minas eorum &c.

Cum synceritate.

Id est, syncero affectu & intelligentia, quæ purum sapiat CHRISTVM, & non sit adulterata extraneis doctrinis, quæ non solum obscurant, sed & obliterant CHRISTVM.

FINIS.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD PHILIPPENSES, Ioannis Pomerani Annotationes.

IVstificatis per fidem Christi hæc Epistola scribitur: quapropter monet eos Paulus in uinculis, ut pergant crescere in fide Christi, & mutua inter se charitate. Vtranq; uastant insigniter humanæ iustitiæ prædicatores siue doctores. Dum enim ab eis docti iustitiam & salutem operibus tribuimus, ueram iustitiam & salutem, id est, Christum amittimus. Nihil enim Christus nobis utilis est, si ex operibus est iustitia Gal: 2. Si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Et 5. Christus factus est uobis ociosus, quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Vbi uero iustitias operum amplexi fuerimus, quæ quæso concordia inter nos esse potest? Non enim fieri potest, ut neglecta uera iustificatione, alij se alijs suis operibus non præferant, alij alios nõ iudicent, cum alijs non contendant &c. Hinc surgunt odia, æmulatiões, sectæ, quales fructus hactenus uidimus, Christianam charitatem nusquam uidimus. Maledicta ergo operum iustitia, quæ tales peperit fructus. Icciteo in hac epistola malos operarios, & hosce iustitiæ humanæ prædicatores, egregia infamia damnat, & caueri iubet, nempe qui sunt to

tius

tius Christiani ædificij destructores. Nisi enim Christi iustitia nos saluet, manemus id quod sumus, id est, cæci & damnati. Saluat autem, si in eum credimus. Porrò, si uere in eum credimus, id erimus fratribus, quod ipse factus est nobis, ut sicut ipse se humiliauit propter nos, ita nobis inuicem subiecti sumus, in timore Dei, per charitatem.

Aduerte, quòd ubi Apostoli Dei præcipiunt opera, nō alia præcipiunt quàm illa, quæ necessariò fidem comitantur, & quæ spiritus qui cor poßidet sua natura requirit, unde fructus spiritus appellat Paulus Gal. 5. Sunt enim uiua testimonia uiuentis intus fidei. Et hoc ideo præcipiunt, siue potius monent, ne torpentes incipiamus fastidire quæ spiritus sunt, ut agnoscentes ex uerbo dei quò pergendum sit, suspiremus sæpe ad eum, sine quo nihil poßumus facere, qui dat nobis & uelle & poße, pro sua bona uoluntate, & quod cœpit ipse in nobis opus bonum perficiet, usq; ad aduentum suum, ut hic dicitur capite. 1 & 2 ubi uides, nihil tribui nostris conatibus, ne initiū quidem fidei. Pseudapostoli uero, ubi præcipiunt opera, sic præcipiunt, ut in ipsis doceant quæri iustitiam, imò ipsam eße iustitiam, nō iustitiæ præcedentis fructum, & præposterè ex fructibus arborem producere uolunt, & præterea in primis illa opera docent & magni faciunt, quæ spiritus ipse non requirit, & item illa uetant, quæ spiritui nihil aduersantur. Id quod ideo faciunt, ut suæ gloriæ consulant & uentri, quos hic uocat inimicos crucis Christi, & qui Deum habeant uentrem, & finem gloriæ suæ confusionem.

Vide Actorum decimosexto de Philippis.

Sanctis in Christo IESV.

Non in suis operibus.

Episcopis.

Vide plures in una ciuitate. Sunt ergo ministri uerbi Dei, & dispensatores mysteriorum Dei, sicut Paulus ad Corinthios uocat. Diaconi autem sunt sanctorũ ministri, ad hoc ab Ecclesia electi, ut dispensent bona Ecclesiæ pauperibus, seruientes eis, pro ut opus fuerit. Ad hoc debent eligi probatißimi ciues, qui fideliter rem curent, ne fiat sicut hactenus, quando neglectis pauperibus occuparunt sibi bona Ecclesiæ, qui dispensatores esse debebant. Sic enim Apostoli Diaconos electuri consultant. Actor. 6. Non est æquum nos derelinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Consyderate ergo fratres uiros ex uobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos uero orationi & ministerio uerbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. De Episcopis & Diaconis legis. 1. Timo. 3.

Gratias ago &c.

Veri Apostoli est, non solum prædicare, sed & orare, ut spiritus Dei operetur in cordibus auditorum, & præterea iugiter gratias agere Deo, sicubi senserit uerbum Dei promouiße. Talis enim ostendit se uere à Deo mißum, & auditorum quærere & sitire salutem, cuius hic egregium exemplum uides in Paulo.

Cœpit.

Vides

Vides hic, quod suprà diximus tantum abeße, ut nostro arbitrio, nostrisq; uiribus & consilijs, in re salutis aliquid tribuatur, ut etiam ne incipere quidem poßis quod bonum est, nisi DEVS det. Ipse enim est Alpha & ω, principium & finis omnium. Porrò bonum opus primum est fides. Ioannis sexto: Hoc est opus Dei &c. Deinde charitas, id est, fidei fructus.

Ad diem.

Perseuerantiam notat. Nisi enim perseueraris, non peruenies ad finem. Inter principium uero & finem, experieris quàm neceßarius sit tibi CHRISTVS. Nisi enim ipse stultarum ouium pastor esset, quis inter tot casus, tot tentationes & mentis et corporis persisteret? Psal. 36. A Domino greßus hominis dirigentur &c.

Sicut iustum.

Qui uere diligit in Christo, non potest male sentire de fratre, timere uero fratri potest, atq; hoc ipsum facit charitas. Habes igitur hic exemplum ueri pastoris, ponentis exemplo Christi animam suam pro ouibus suis, & diligentis etiam in uinculis, non carnali aliquo sed Christiano affectu, id quod dicit: In uisceribus IESV Christi.

Et illud oro &c.

Vult augeri charitatem inter nos mutuam, sed in agnitione & omni scientia, id est, in fide & cognitione Christi, ne ipsa opera incipiamus pro iustitia accipere. Hoc est quod in Rom. ait: Ex fide in fidem, ut spirituales simus quo dijudicemus omnia. Vt probetis, inquit, quæ sunt præstan

tia, id est, quæ bene placent diuinæ uoluntati, id quod Roman. 12. sic dicitur: Vt probetis, quæ sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq;, & perfectum, ut beneplaceat uobis, quicquid, quacunq; etiam occasione, siue propter Euangelium, siue propter peccatum nostrum nobis acciderit, scientibus, quòd omnia è manu benigni Patris & pastoris nostri accipimus. Præstantia ergo sunt, ut Deum præferamus omnibus hominibus, & charitatem omnibus præceptis, legibus, & operibus, sicut Christus in Euangelio docet sæpe & ipso exemplo ostendit.

Synceri.

Primum fide, ne patiamini cognitionem Christi traditionibus & doctrinis humanis permisceri, deinde charitate, ut talis sit affectus in proximum, qui etiam tolerare sciat eius infirmitatem, ne scandalo simus quocunque modo. Charitas enim omnia suffert, sicut uides Christum multa in infirmis discipulis dißimulaße & tulisse. In summa: Sic nos scire uult, ut nostra sciētia nō abutamur. 1. Cor. 8. Sciētia inflat, charitas ædificat. Si qs existimat scire aliqd etc.

In diem &c.

Perseuerantia.

Quæ contingit &c.

Per nihil aliud, priori Corinth. primo.

Ad gloriam.

Non nostram, Matthæi sexto: Attendite &c.

Scire autem.

Quia

Quia diligit, ut amicis, quæ circa eum acta sunt notificat, simul per hoc cauens, ne ista sua persecutio scandalo sit infirmis adhuc mentibus, donec discant, oportere nos cruce glorificari, quæcunque tandem nobis à Deo imponitur. Sic ad Ephesios tertio: Obsecro, inquit, uos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra. Diligentibus Deum (ut est in Roman.) omnia cooperantur in bonum, etiam ea quæ caro iudicat pessima. Ita dum confessores Euangelij impetuntur maledictis, persecutionibus, morte, tantum abest ut hæc noceant, ut per hæc mirus ille artifex Deus Euangelium promoueat, ut incredulis & adhuc ignorantibus notum fiat quid agatur, qui forte nondum audierunt, & iam credentes confirmentur, uidentes, non seductoris fuisse prædicationem, pro qua prædicator audet mori.

Nonnulli &c.

Nihil hic dicit de illis prædicatoribus, qui aliud quàm Christi doctrinam prædicant, qualium iam plenus est orbis: quomodo enim de illis gauderet Paulus? Et ipse hoc satis expressit, dicens: Christus tamen annunciatur. De illis ergo dicit, qui Christi doctrinam prædicant, quorum quidam hoc ipsum faciunt, maligno animo, ne scilicet liberetur Paulus, quasi talis sectæ autor, propter quam ubiq; suscitatur tumultus, & perturbatur reipubli. tranquillitas. Nec uero quatuor genera prædicatorum, ut quidā putāt, hic describuntur, sed tantum duo. Duo autem quæ uidētur membra posteriora, expositio tantum sunt & declaratio

 duorum

duorum præcedentium. Atq; hic habes, q. etiam ipsa ueritas à multis, non tamen uere, annunciatur, ut semper cogites, regnum Dei non esse in sermone, sed in uirtute.

Pudefierem, si ista cederent in damnũ Euangelij &c.

Nam mihi uita &c.

Exponit quod dixerat: Magnificabitur Christus &c. Siue enim uixero, Christo uixero, non mihi: eius gloriam prædicabo, & opere prædicationis fructum faciam, id est, utilis ero ijs, qui audituri sunt ex me uerbum. Sic Galat. 2. Viuo autem iam non ego &c. Siue moriar, meo lucro moriar. Defunctus enim huius uitæ periculis, & meo officio cum Christo coronabor in illo die, sicut dicit. 2. Timoth. 4. Ego iam delibor &c. Hoc quanq̃ mihi melius eßet, illud tamen magis uobis necessarium. Hic est sublimis sanctorum affectus, quem nos tam adhuc ad spiritualia rudes intelligere non poßumus. Tamen ad hoc ista utiliter legimus, ut uideamus, & agnoscamus nostram imbecillitatem, quam longè scilicet adhuc absimus à regno Dei, qui crucem & mortem, ut rem damnatißimam, fugimus & horremus. Et tamen cum Paulus sit tantus, dicit infrà capite tertio: Non quòd apprehẽderim, aut perfectus iam sim &c. Vbi ergo sunt, qui frigidis suis operibus & ceremonijs & sectis uendicant sibi perfectionem?

Gaudium fidei ueſtræ.

Id est: Vt gaudeat fides uestra, ut gloriemini siue exultetis ubertim & pleno gaudio, per Christi spiritum: gloriemini, inquam, in me, uel de me, quòd ad uos redierim. Vide mutuum

de mutuum sanctorum gaudium. Illi gloriantur de Paulo & Paulus de ipsis, sicut sequenti capi. dicit. Vt, inquit, gloriari possim in die Christi &c. Non est hæc carnalis gloria sed quæ fit, ut ait, per Christum IESVM. Sic Ro. 1. Vt communem capiam consolationem in uobis per mutuam fidem uestram simul & meam. 1. Corin. 12. Si glorificatur unum membrum congaudent omnia membra.

Tantum ut dignum est &c. Ab hoc loco, usq; ad eum locum ubi dicit in sequenti cap. Spero autem in domino IESV &c. maxime commendat charitatem inter ipsos mutuam, quæ non potest esse nisi sine contentione nobis mutuo subdamur, uno animo idem sentientes. Id fiet si impermistam & puram seruamus Christi doctrinam, non admittentes doctrinas hominum gloriantium in operibus, & misere, quia canes sunt, lacerantiū sacrum Christi corpus. Non enim fieri potest ubi aliud admiserimus quàm purum dei uerbum, ut non contendamus, ut non gloriemur in nobis, ut nō iudicemus alios, ut nō alijs nos præferamus, ut sectis non separemur à Christi corpore, sicut Esa. 1. dominus dicit: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij. Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum uersum est in scoriam, uinum tuum mixtum est aqua &c. Et certe hactenus insignis cæcitatis & monstrosorum scelerum pœnas incurrimus ob contemptum Euangelium & receptas doctrinas humanas, de quibus saluator, Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. id quod est uere

idololatriam committere & aliud scilicet quam quod dei est in loco dei erigere & humana pro diuinis adorare. Contra, ubi purum est Euangelium, illic simplex est fides & syncera charitas. Non enim poßunt dißentire qui unum habent dei uerbum, gloriari in se qui norunt se omnia per misericordiam dei accepiße, iudicare alios qui semper cogitant illud, domino suo stat aut cadit, Hic licet diuersa sunt dona, diuersa opera, diuersa exercitia, diuersæ cruces, nemo studijs alterius obloquitur, quicquid singuli faciunt placet omnibus, infirmitates aliorũ tolerant, donis mutuo utuntur ad utilitatem, alter alteri condolet, alter alterum iuuat, & in summa quisq; se submittit à'ijs non æquat aut præfert. Sic sentiunt uere Christiani. Atq; ut hoc persuadeat Paulus maximo Christi utitur exemplo qui se summe deijciendo & submittendo ad summam peruenit gloriam, ut hic merito pudefiant qui Christianum sibi nomen uendicantes contentione & inani gloria sua spectant & sequuntur, nunquam ad ueram gloriam peruenturi, qui potius scandala sunt Christianorum quàm Christi membra, & fiunt tandem doctrinarum humanarum autores qui de Euangelio gloriabantur.

Adiuuantes &c.

Id est, ut illa unitate uos mutuis exhortationibus, mutuis consolationibus, mutuis officijs adiuuetis & fortificetis fidem uestram quæ decertat contra impugnatores Euangelij impios homines, contra peccata & infidelitatem, contra omnes portas inferorum, Matth. 16.

Terreamini

Tereamini &c. Lucæ.12.

Et hoc à deo &c.

Quod scilicet hoc est uobis causa salutis, ne meritum tibi adscribas quia pateris. Habes enim hic locum quod pati nō potes pro deo, sicut nec credere deo, nisi deus det. Nouimus Petrū suæ præsumptionis pœnas dedisse quando negabat Christum. Vigilate ergo & orate, inquit dominus, ne intretis in tentationem.

CAPVT II.

Prosequitur quod cœperat, ut diximus supra, non monens solum, sed et per omnia Christianorum sacra adiurans, etiam obiecto Christi exemplo, ut non superbe aut diuersa sentiamus, sed seruiamus subiecti fratribus.

Si est usquam aliqua consolatio per Christum &c.

Is affectus &c.

Loquitur de Christo propter nos deiecto cuius exemplum nobis proponit, is nō probauit, non arbitratus est, non uoluit rapere gloriam deo, cū tamen uere etiam esset in forma dei, id est, æqualis deo & deus uerus, gloriam enim & omnia ubiq; tribuit patri, ut uides in Euangelio Ioannis, sed deposita gloria maiestatis descendit non solum ad homines, uerumetiam infra homines, ut propter nos obediens esset patri ad mortem etiam usq; turpissimā, Esa.54. Iccirco data est ei omnis potestas in cælo & inter-

& in terra, Matth. ultimo, accepto nomine in quo solo nos oportet saluos fieri, Act. 4. cui omnes populi, tribus & linguæ seruiunt. Dan. 7. ita ut tremant quoq; portæ inferorum ad tantam Christi gloriam, sicut dicitur Ephe. 3. Vt innotescat principibus & potestatibus in cælestibus, per ecclesiam, multiformis sapientia dei &c. Nam deus suscitauit illum à mortuis constituens ad dexteram suam &c. Ephe. 1. Quid ergo nos qui nihil sumus non submittimus fratribus cum tanta maiestas se submiserit, obliti illius: Qui se humiliat exaltabitur, & illius Gal. 6. qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Sicut ergo Christus gratis seruiuit nobis, ita ut etiam sese pro nobis tradiderit in mortem, sic & nos gratis seruiamus gratuita charitate fratribus, & sentiamus nõ superbe de donis nostris alios contemnentes qui uidentur nobis inferiores, qui nihil habemus quod non accepimus, sed sentiamus quemadmodum Christus sensit qui cum deus esset & iure potuisset sese supra nos extollere & diuinos à nobis honores exigere, tamen propter nos abiecit sese infra nos &c. Alioqui si sic affecti nõ fuerimus, unitas nõ constabit & fides peribit.

Figura. 5

Id est, specie uel forma. Heb. 4. Tentatum per omnia pro similitudine absq; peccato, & 2. Vnde debuit per omnia fratribus similari &c.

Vestram salutem operemini.

Id est, facite ea quæ salutis sunt, atq; ea non sunt alia quàm

quàm quæ dixit, ut unanimes idem ſentiant, non quærant ſua &c. Sic ſupra: tantum ut dignum eſt Euangelio Chriſti conuerſemini &c. Et hoc, inquit, cum timore & tremore ſcilicet Dei, qui enim aliter conuerſantur, certum eſt eos timorem Dei non habere. Idem dicit Ephe. 5. Subiecti inuicem in timore Chriſti. Ne uero hinc ſtatuas liberum arbitrium, quia dicit: Operemini, addit, Nam Deus eſt is qui agit &c. Quod uero additur, pro bono animi propoſito, quaſi hoc ipſum faciat Deus in nobis propter noſtrum bonum propoſitum, non conuenit. Nam ut non dicam quod Paulus inde noſtris ſtudijs aliquid tribueret, quomodo conueniet, ut pro noſtra uoluntate operetur Deus in nobis, qui hoc ſcribitur à Paulo dare nobis ut uelimus? In græco ergo eſt ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας pro bona uoluntate, ut intelligas ſua non noſtra, ſicut Ephe. 1. ſecundum beneplacitum uoluntatis ſuæ etc. Ipſius eſt enī bona uoluntas quod ſic per gratiam in nobis operatur, non noſter conatus.

Synceri.

Vt ſupra.

In medio &c.

1. Pet. 2. Conuerſationem &c.

Tanquam &c.

Mat. 5. Vos eſtis lux mūdi. Lux, inquam, propter uerbum uitæ quod portatis ad illuminationem gentium. Pſal. Lucerna pedibus &c. Meræ enim tenebræ ſunt & Dei igno antia & mors ubi hoc uerbum uitæ non eſt, ut maxime

xime omnia in speciem appareant sanctissima.

Vt gloriari liceat ad diem.

Id est, aduentum Christi quod Deus per meum Euangelium aliquid in uobis effecerit, quando audiam. Euge serue bone &c. De quo tantum glorior siue gaudeo ut etiam gauisurus sim si immolor, id est, Deo occidor propter fidem uestram, quam me prædicante suscepistis, unde et uos non gaudere non potestis. Vide hic iterum egregiam charitatem et sublimem sanctorum affectum. Aduerte autem quod Philippensium conuersationem uocat hostiam & sacrificium fidei, significans eos esse bonũ odorẽ Deo in omni loco. 2. Cor. 2 quemadmodum de sacrificijs carnalibus in ueteri lege sæpe legis. ut Nu. 18. Adipes adolebis in suauißimum odorẽ Domino. Et de sacrificio Christi. Eph. 5. Tradidit seipsum &c. Fidei uero hostia & sacrificium est conuersatio Christianorum. Nam quicquid quasi bonum, uel cogitaueris uel dixeris uel feceris, impoßibile est ut sine fide placeat Deo. Heb. 11. Est enim oblatio Cain, de qua legis: Respexit Dominus ad Abel &c. Nam omne quod non est ex fide peccatum est, Ro. 14. Et Tit. 1. Omnia munda &c. Sine fide sunt tua opera quando facis contra conscientiam, id est quando non credis Deo placere aut dubitas an Deo placeat quod facis. Item sine fide sunt, quando uiuis in odio fratris, unde audis: Cum offers munus ad altare &c. Item sine fide sunt, quando per ea quæris iustificari. Sola enim fides in Christum iustificat, ut infra. 3. ca. Et in Ro. & Gal. &c.

Spero

Spero autem. &c.

Vide quanta diligentia nuncios commendet, ut supra de Diaconis diximus. Oportet enim rem euangelicam et dispensationem pauperum curantes non solum probatos esse Deo, sed etiam omni suspitione auaritiæ carere. Roma. 12. prouidentes bona &c.

Epaphroditus attulerat Paulo Philippensium dona, ut in fine epistolæ.

CAPVT III.

NOn gaudet in domino qui gaudet et confidit in iustitia sua, in sapientia sua, in diuitijs suis, & in summa, qui inuenit in se aliquid in quo confidat. Pauperes enim euangelizantur, id est, lætum nunciũ accipiunt. Hoc est, illorum est Euangelium quos Christus peccatores in Euangelio appellat, dicens: non ueni uocare iustos, sed peccatores. Vnde Hiere. 9. Hæc dicit Dominus, Non glorietur sapiens &c. Semper enim & in æternum turbaberis nisi fide didiceris in solo Deo (id qđ ubiq; scriptura monet) gloriandum. Nam conscientia in tentatione coram Deo consistere non poterit præ horrendo Dei iudicio, quia peccatores sumus & ipsissimum peccatum, nisi credamus Christum factũ nobis à Deo sapiẽtiã, iustitiam, sanctificationẽ et redẽptionẽ. 1. Co. 1. Hoc est Christianorũ gaudiũ qui in se descendentes nihil inueniunt nisi damnationem. Nam qui pro nobis tradidit unigenitũ, quomodo nõ cum illo nobis oĩa donauit? ut dicitur. Ro. 8.

Verum

Verum hic irrumpunt genimina uiperarum illius ſerpentis ueteris ſemen, lupi rapaces, canes impudici, lacerãtes gregem dominicum, & à Chriſti corpore abrumpere ſatagentes, tentantes mentes à ſimplicitate abducere, quemadmodum abduxit ſerpens uirginem Euam, ut dicitur ·2· Co·11· Simplicitas eſt, ut ſimpliciter credamus nos omnia habere in Chriſto · Illi uero docent confidere in operibus noſtris, in iuſtitia noſtra et meritis noſtris, quo fit ut Chriſtus reddatur nobis inutilis, ſicut et phariſæis, quos infra uocat inimicos crucis Chriſti, id eſt, qui doceant non gloriam Dei, ſed ſua lucra ſuamq; gloriam quærant, in ſuã et perditionem & confuſionem æternam, quid enim aliud conſequerentur qui Deum habent uentrem, ſicut omnes hodie uidemus, qui obnituntur gratiæ Dei, nolentes nos ex ſola in Chriſtum fide iuſtificari, canes impudici, neſcientes ſaturitatem, ut dicitur Eſa·56· operarij mali qui in meße dominica, non domini, ſed ſuum agunt negocium, qui audient in iudicio Dei· Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, licet gloriari uoluerint, Domine nõne in nomine tuo prophetauimus &c· Hi ſe iactant circuncisionẽ eße, cum reuera coram Deo non circunciſio ſint, ſed conciſio & laceratio doctrinæ euangelicæ· Hic igitur aduerte pſeudapoſtolos eo tempore notatos, qui erant ſecundum carnem Iudæi, qui gloriantes ſe populum eße Dei, cui factæ erant promißiones, & quem Deus tãtum ſæpe honorauerat, & è quorum ſanguine iam etiam Chriſtus natus erat, docebant opera legis neceßaria ad ſalutem·

salutem. Contra quos acerrimè & cum dolore inuehitur Paulus, sicut & ferè ubique. Si enim quæsieris per opera iustificari, iam Christus iustitia tua non est. Hoc ergo est Christum abnegare, & Antichristum in loco eius statuere 1. Ioannis 2 Hic est Antichristus, qui negat Patrem & filium. Si igitur hoc uerum est de illis, qui nitebantur inducere in opera & iustitiam legis, cuius tamen autor erat Deus, quid de nostris dicemus, qui de legibus & traditionibus mere humanis & fictis certant, docentes doctrinas & mandata hominum, id est, doctrinas Dæmoniorum, ut uocat Apostolus?

Nos enim sumus circumcisio &c.

Habes hic spiritualem circumcisionem, spirituale semen Abrahæ, qui credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Circumcisio carnis non erat iustitia, sed signum tantum iustitiæ fidei, ut Roma 4. Qui ergo rem, id est, iustitiam fidei non habent, inane tantum signum circumcisionem ferunt. Oportet enim esse circumcisionem cordis in spiritu, non litera. Roma. 2. de qua Moises Deut. 30. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, ut poßis uiuere. Hæc spiritualis circumcisio, est non solum quorundam affectuum impurorum resecatio, ut aures non libenter audiant turpia, os non libenter dicat, manus non faciant &c. sed maxime resecatio infidelitatis, quæ fons est omnium uitiorum. Cœpisti enim fide iustificari, id est, circumcidi, nondum perfecte iustificatus

tus es, id est, nondum perfecte credis· Quis enim hoc gloriabitur, cum & Paulus dicat se nondum apprehendisse? licet hoc ipsum à Deo tibi qui iam cœpisti credere pro perfectione imputatur· Oportet enim, ut semper pergas ex fide in fidem, docente intus spiritu, id est, ut semper circumcidaris, & baptizeris igni & spiritu sancto, ut tandem abijciatur & exuratur omnis uetustas· Nemo enim est, in quo non sit hypocrisis, & qui non tribuat aliquid suæ iustitiæ, donec spiritus ille igneus omnia exurat, ut tandem possis occurrere CHRISTO in uirum perfectum, ut est in Ephes· Dum enim adhuc quibusdam externis hæres, CHRISTO perfecte iungi non potes· Hic spiritus paulatim & miro modo agit, ut cadant omnia, in quibus aliquid confidentiæ habere uidebamur, ut tandem agnoscas, solum CHRISTVM esse iustitiam tuam, & mediatorem tuum, & te dilectum in dilecto filio Dei· Qui enim externam iustitiam magni faciunt, CHRISTVM ignorant· Hoc est, quod hic Paulus uocat, in carne gloriari, id est, in externis & operibus legis· Istam circumcisionem, & istum spiritus baptismum, quotidie reuelāte Deo in nobis discimus· Tantum rogemus Deum, ut confortemur spiritu, & pergamus, non reuertamur retrorsum·

Spiritu.

Ioannis quarto: Spiritus est Deus &c· Non carne, non litera, id est, externis rebus, sed bona cordis uoluntate, quam Deus dat per spiritum suum, quem nobis, si credimus, emeruit Cdristus· Psalmo 1· Sed in lege &c· Vide

diligentissime

diligentißime, quàm abijciat confidentiam in operibus legis, ut in solo Christo gloriemur. Ego, inquit, præ omnibus pseudapostolis gloriari poßim in carne legis, ut sanctus & honoratißimus Iudæus, sed omnia reputaui ut stercora, propter cognitionem Christi, quæ excedit omnia. Quo enim amplius didiceris Christum cognoscere, tanto magis cadunt illa opera, & omnes iustitiæ, in quibus homines confidunt, et subinde plus illuminaris, in tantum cõfirmatus, ut etiam portæ inferorum præualere tuæ fidei non poßint, tantum memineris, portare adhuc aliorum infirmitates: memineris quoq;, te adhuc omnia non comprehendiße, te nõdum esse perfectum, multa adhuc te ignorare, quippe qui omnia tua præterita, ueritate exigente, cogeris damnare. Sicut enim tuã insipientiam Christus fert, ita & tu ferre debes aliorum. Melior est conditio adhuc errantium, quàm illorum qui se iam putant apprehendiße. Adhuc nanq; in multis deficimus omnes, sed consolatur nos hic Paulus, dicens: Si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis Deus reuelauit. Deus multa ignorare permittit sanctos, & in quibusdam etiam errare, ut deprehenso post ex eius gratia, errore, discamus non confidere in nobis. Stultæ sumus ouiculæ, sed sub manu Pastoris Christi, perire non possumus. Potẽtiam resurrectionis Christi cognoscit, qui scit Christum regnare, & triumphare super mortem, peccatum & inferos, qua eadem potentia nos credimus, ut dicitur Ephes. 1. Vnde Roma. 4. Resurrexit, propter iustificationem nostri. Et Ephes. 2. Deus qui diues est in mi-

ſericordia &c. Hæc, niſi ſpiritu docente, intelligere non poſſumus: eſt enim uere fides Chriſtiana. Communionem uero afflictionum Chriſti cognoſcimus, dum omnes Chriſti afflictiones noſtras eſſe intelligimus, & rurſum omnes noſtras Chriſti, & in Chriſto eſſe benedictas, & eſſe bonam Dei uoluntatem, quicquid nobis acciderit. Coloſſen. 1. Nunc gaudeo &c. Tali communione afflictionum & tentationum peruenimus tandem ad plenam reſurrectionem, ſicut & Chriſtus peruenit. Beatus qui intelligit.

Nam noſtra &c.

Electi enim dicuntur regnum Chriſti, regnum Dei, regnum cælorum, in quibus Deus ipſe regnat. Idcirco & regnum lucis dicitur: contrà, regnum mundi, dicitur regnum tenebrarum &c. Sic Coloßen tertio: Si conreſurrexiſtis &c. Et hic capite ſequenti, quæ ſit cælica conuerſatio, ſic dicit: Quod reliquum &c.

E cælis Chriſtum rediturum, ut liberet nos plenè à corpore mortis huius completa reſurrectione, ſæpe ipſe in Euangelio teſtatur. 1. Ioan. 3. Scimus, quòd cum apparuerit &c. Et omnis &c. De reſurrectione, & corpore noſtro glorificando, legis 1. Corinth. 15. Vnde Saluator Matth. 13. Tunc fulgebunt iuſti &c. Et ne quis animalis homo dicat: Quomodo reſurgent corpora conſumpta in terris, aqua, aêre, igni, deuorata à beſtijs &c. addit: Secundum efficaciam &c. Nõ erit impoßibile apud Deum omne uerbum. Deus ſic uult & poteſt: incredulus contrà diſputat. Qui autem credit, dicit cum Ioanne: Scimus, quòd cum apparuerit,

ruerit &c. Et cum Paulo Roman. octauo: Scimus, quòd omnis creatura ingemiſcit &c

CAPVT IIII.

GAudium nũc, & corona in futuro. Sic ſtate, id eſt, unanimi ſpiritu, quemadmodum ſcripſi, uiuite. σύζυγος coniugem ſignificat & comparem. De uxore ergo Pauli intelligunt, quam germanam dicit, id eſt ueram & ſynceram, quòd Chriſtiana quoq; ſit, ut Paulus, & Euangelij promotrix.

Quorum nomina &c.

Id eſt: Quos Deus agnoſcit pro ſuis, ut diximus Pſalmo. 80. Matth. 5. Gaudete. Cõtrà, de reprobis dicitur Pſalmo. 68. Deleantur de &c.

Gaudete.

Vt ſuprà. Iterum, quia hoc ipſum gaudium infirmis conſcientijs non ſatis prædicari poteſt.

Modeſtia eſt, qua non tuo ſenſui inniteris, ſed accommodas te alijs, quantum cum Deo licet in omnibus rebus. Hanc uult Paulus, non ut aliquibus, ſed ut omnibus exhibeas, etiam inimicis, etiam ijs qui poſſunt uideri inferiores. Atq; hanc modeſtiam, ut uides, docet per totam ferè Epiſtolam. Hic reſpondet caro: Si hanc modeſtiam ſeruauero, contemnar, lædar, mea mihi auferentur, nemo me uerebitur &c. Reſpondet Paulus: Dominus uobis prope eſt, ipſe omnia curabit pro uobis, nihil uos ſolum ut ſitis, ſed tan

tum quæ cupitis petite à Deo, & gratias agite de acceptis. O uerbum fidei, quod creditum, in omni neceßitate & corporis & spiritus sat eßet, contra omnem infidelitatis nostræ tentationem.

Pax Dei.

Id est, quam DEUS dat credentibus, ut gaudentes de remißo peccato & donata gratia, mutua se charitate complectantur. Hæc exuperat omnem intellectum: nulla enim ratione humana comprehendi potest, quæ solum carni dulcia iudicat eße pacem. Pax autem Dei, in tribulationibus etiam exultat Roman. quinto, sciens Deo placere, quicquid fit, & omnia cedere in salutem. Hæc est pax conscientiæ, quæ, inquit, custodiet uos per Christum in fide & unanimitate, de qua multum dixi.

Quod reliquum.

Summa Christianæ conuersationis.

Gauisus sum autem &c.

Hic est locus gratiarum actionis, pro accepto munere & eleemosyna à Philippensibus. Vbi uide, dum sine adulatione multis uerbis spiritualis homo gratias agit, quanta doctrina abundet. Primum, ostendit, ueri prædicatoris esse, à suis nihil requirere: deinde, auditorum eße, prædicatoris inopiam subleuare. Præterea, ne prædicator occasionem præbeat pseudapostolis, oportere etiam ab aliquibus abstinere, quæ iure illi debentur, sicut Paulus abstinuit, ne acciperet aliquid à Teßalonicensibus & Corinthijs. Item, quæ sic dantur, cedere in commodum illorum qui

dant.

dant. Item, hæc ipsa data eſſe hoſtiam acceptam Deo, Hebræ decimotertio: Talibus hoſtijs placatur Deus. Item dantibus reddi à Deo abunde ſecundum Euangelium, & ſecundum Paulum. 2. Corinth. 9. Poſtremo (ne hoc negligas) ſanctos eſſe contentos in ijs quæ habent, & ſub Dei prouidentia gaudere ſecuros, quemadmodum paruulus gaudet ſub manu Patris, nihil ſolicitus quicquid acciderit. Nam, inquit, ego didici &c. Heb 13. Sint mores &c.

LOCI INSIGNES IN EPIſtola ad Philippenſes.

CAPVT I.

Charitas pij & Euangelici paſtoris: Gratias ago &c:

Vbi intermiſcet, quód ne incipere quidem bonum, ſine deo licet: Quod is qui cœpit.

Prædicant quidam Chriſti doctrinam, non tamen Chriſtiane: Scire uos uolo.

Affectus Sanctorum cupientium diſſolui: Nam mihi uita Chriſtus eſt:

Pati pro Deo, eſſe donum Dei: Quia uobis donatum eſt.

CAPVT II.

Vnanimis doctrina, & affectus Chriſtianorum exemplo Chriſti: Si qua igitur.

Conuerſationem talem eſſe hoſtiam & ſacrificium fidei: Quinetiam.

Dispensatores eleemosynarum debere carere auaritiæ suspitione: Spero.

CAPVT III.

Cauendos eße insaturatos canes, à iustitia fidei auertentes: Cauete.

Iustitiam carnis nihil eße, sed iustitiam fidei, & circumcisionem in spiritu eße salutem: Nos enim sumus circumcisio &c.

Nondum nos comprehendiße, id est, plenè iustificatos esse, ut semper sitiamus & esuriamus iustitiam: Non quòd apprehenderim &c.

Christianorum conuersationem non eße terrenam: Nam nostra conuersatio.

CAPVT IIII.

Gaudendum semper in Domino, relicta ei solicitudine: Gaudete.

Gratiarumactio, absque adulatione, Christianißimis doctrinis plena: Gauisus sum.

FINIS.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD COLOSS.

Ioannis Pomerani Annotationes.

PEne eadem est hæc Epistola cum Epistola ad Ephe. & idem habet argumentum, nisi quod hæc breuior est, & quod hic apertius damnat doctrinas humanas philosophiæ, id est, sapientiæ et rationis humanæ, quæ nihil nouit nisi elementa, id est, res externas huius mundi. In quibus ratio per hypocrisim fingit cultum dei & iustificationem, cum solus deus iustificet non nostra opera aut satisfactio, & in spiritu uelit adorari qui bonorum nostrorum nō indiget. Nihil enim tam aduersum fidei, id est, saluti nostræ, quàm ubi ratione humana quæ dei sunt æstimare cœperimus. Quando enim ipsa non negabit deum hominem factum & propter te factum, passum, mortuum, resuscitatum? quando non persuadere nitetur non esse remissionem peccatorum, quandoquidem facta infecta fieri non posse? Aut quando ipsa persuadebitur esse uitam post hanc, esse resurrectionē carnis post carnis interitum, de omnibus esse reddendam in iudicio futuro rationem? Sed ne hoc quidem credit quod tamen in quibusdam hominibus coram uidet, hominem scilicet

posse spiritu dei immutari in hac uita, ut planè sit alius quam antea fuerit. In summa, Animalis homo nō percipit ea quæ dei sunt, stulticia enī sunt illi. Hæc (ut Iacobus ille uocat) est sapiētia terrena, animalis, diabolica. Quæ sapientia effinxit nobis uarios dei cultus & uarias secundum elementa mundi obseruantias, quibus omnibus si uere essemus Christiani debebamus cū Christo esse mortui & felix agere sabbatum, ut solum Christum habentes omnia haberemus. Id est, ut nihil faceremus necessarium ad salutem nisi solum Christum, & omnia alia essent libera, pro usu nostro & proximorum uel facienda uel omittenda. Quid quæso traditionibus hominum uexamur, cum debeamus scire & legem quam olim tulit deus esse per Christum in cruce abrogatam, non ut non fiat, sed ut non facta damnare aut reos agere non possit? quippe qui ex deo didicimus non opera legis, sed Christum nostram esse iustitiam. Præterea accedunt ad maiorem orbis seductionem fictæ illæ reuelationes, unde suppullularunt superstitiones & prodigiosi cultus angelorum & sanctorum & fictæ religiones. In quibus sperare & confidere didicimus in iniuriam conditoris dei & seruatoris, intercessoris & unius mediatoris domini nostri IESV Christi. Atque ut talia confirmarentur abusi sumus ministerio uerbi, & detorsimus scripturas, conuertentes dei ueritatem in mendacium, cuius rei reliquias (postquam cessauerunt scripturæ prædicari) adhuc uidemus in cantu & lectionibus illis publicis quæ secundum ordinationem

dinationem (ut uocant) Ecclesiæ de sanctis leguntur & cantantur, in primis de beata uirgine matre saluatoris, de qua omnia ferè leguntur quæ de Christo & dei sapientia scripta sunt. Item abusi sumus uenerando sacramento corporis & sanguinis Christi, dum mißas fecimus in commemorationem sanctæ Annæ, Sebastiani, Petri, pro defunctis etc. contra institutionem Christi, qui à fidelibus uoluit hoc sacramentum non offerri sed edi in sui commemorationem, sed nundinationem fecimus Christi sacramentum. Ad hæc credo Paulum uere appellaße religionē angelorum, uitam (ut uocāt) angelicā, cœlibatum illum maledictum, sicut fructus hodie ostendūt, quem cœlibatū mirum quanta sanctitate operū & ceremonijs, id est, ficta hypocrisi ornauerunt, ut hoc dæmonium meridianum non uideretur neq; agnosceretur angelus Satanæ in angelum lucis transformatus, fuerunt olim sancti martyres & pij homines, uirgines, cœlibes, casti, secundum dona spiritus dei, sed non senserunt singularia dona omnibus oportere secundum neceßitatem salutis eße communia. Curauit ergo diabolus ut ex donis dei singularibus homines impij infelicißime facerent statuta & præcepta, præcipientes ut haberemus in carne uitam angelicam, quæ data nobis non eßet, perinde acsi præciperem, ut sublato corpore iam more uolucris in aëra uolares, præcipientes, inquam, impie quod deus nō præcepit. Nonne hæc est religio angelorum, de qua Paulus loquitur? Hæc ut sic intelligam, facit non solum quod talem uitam

uocant

uocant uitam angelicam, sed etiam quod sequitur in Paulo de cibis, fortaße etiam de coniugio, sicut alibi dicit, Bonum est mulierem non tangere. Ne tetigeritis, inquit, neq; gustaueritis &c. quia hæc duo scilicet prohibere, nubere & abstinere à cibis, ad Timo. dicit docenda in nouissimis temporibus ab illis qui discedunt à fide & attendunt spiritibus erroris qui non sunt à deo & doctrinis dæmoniorum, & loquuntur in hypocrisi & ficta religione sanctitatis mendacium, et cauteriatam habent conscientiam, nescientes de quibus affirmant, & ut hic dicitur, quæ non uiderunt, id est, intellexerunt. Hæc omnia signa & prodigia mendacia secundum operationem Satanæ uenerunt super illos qui pereũt, ut dicitur. 2. Teßa. 2. quia dilectionem ueritatis non receperunt ut sani fierent. ideo, ut ait, misit illis deus operationem erroris, ut credant mendacio ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati. Hæc futura facile potuerunt præuidere Apostoli Dei. Nam ipsis etiam prædicantibus cœperunt appetere iustitiæ operum iniuriam gratiæ dei & Christi, contra quod quàm acriter institerint Apostoli, non ignoramus ex eorum scriptis. Et uiderunt spiritu quem habebant (ut & hodie spiritualis homo hoc facile uidere posset) hoc ipsißimum esse Antichristi regnum, sed nouissimis temporibus reuelandum, sicut scribitur. 2. Teßa. 2. Mysterium iniquitatis iam operatur ut reueletur in tempore suo. Et. 1. Ioan. 2. Filioli: Nouissima hora est. Et sicut audistis qd' Antichristus uenit,

nunc

nunc autem Antichristi multi facti sunt &c. Igitur hæc quæ iam diximus in hac epistola sunt singularia præ epistola quæ scripta est Ephesijs.

Locos insignes si cupis. In secundo capite sunt ea quæ diximus, scilicet damnatio traditionum humanarum, iustitiæ operum legis & fictarum religionum. In primo est plena prædicatio Euangelij, id est, potentiæ & usus Christi, sicut & in Ephesiorum epistola. In tertio autem & quarto paræneses morum Christianorum.

PAulus. Per uoluntatem Dei.

Non sicut pseudapostoli qui non uocati sese ingerunt ad prædicandum & docendum Hiere. 23. Non mittebam Prophetas & ipsi currebant, non loquebar ad eos & ipsi prophetabant.

Fidelibus in Christo.

Id est, qui credentes & Christiani sunt, non per aliud quàm per Christum.

Gratias &c.

Gratulatio quod Euangelium uere cognouerit, nẽpe cuius fructus ĩ eis uideatur, id est, charitas in oẽs sanctos.

Audiuimus.

Nam hos non accesserat Paulus, ab Apaphra autem audierãt Euangelium, ut in hoc ca. 1. uides, et iã habebant Archippũ Apostolũ siue pastorẽ ut uides ĩ fine epistolæ. Fidem dicit in Christo & charitatem in omnos sanctos

ctos, recta distributione. Nunc omnia peruertimus, fidē & fiduciam habemus in operibus, non solum bonis, ut uideri possent, sed etiam planè puerilibus, & nullo opere benefacimus sanctis, id est, fratribus, sicut supra appellauit. Charitas enim in scripturis est officium in proximū. Fides uero, est in solo Deo per Christum hærere secundū eius uerbi promissionē, utcunq; tibi acciderit tentatio.

Propter spem.

Ergo Paulus facit charitatem et opera nostra in proximum mercenaria, ut propter opera bona recipiamus mercedem ĩ cœlis, cum palàm scriptura auferat à nobis omne meritum. Psal. Non intres in iudicium. Item, In tua iustitia libera me domine. Item, doce me iust. Et Esa. 64. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Respōdeo, Paulū hoc omnium minime dicere: Loquitur quidē quandoq; scriptura quasi merces debeatur pro opere & quasi meritum tuum sit si opereris, cum tamen si recte intuearis, scriptura dicat mercedem reddēdam pro opere, non deberi, sicut reddita est illis qui hora undecima uenerant ad uineam, et una hora laborauerant, ubi certum ē quod illis merces totius diei non debebatur, sed uoluntate patrisfamilias acceperunt nō merito suo, & tamen pro opere. Volo, inquit, huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi facere quod uolo? Bonorum nostrorum nō indiget Deus, unde ergo tibi meritū? Vult tamē nos operari & nobis mutuo inseruire gratis et libera charitate, sicut fratres carnales seruiunt infirmis fratribus spe

premij recipiendi à patre, quia pater promisit hoc & illud se daturum, alioqui tamen seruituri etiamsi nihil daretur, quia diligunt & patrem & fratres. Vides quod hic non sit mercenaria seruitus, sed charitatis. Sic Christus dicit Ioan decimoquarto. Sed ut cognoscat mundus quia diligo &c. Paulus Roma. octauo. Si támen compatimur ut & conglorificemur, sic loquitur quasi pro paßione nostra debeatur nobis gloria, sicut & Christus dicit: Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Sed ut dixi hic non opus siue paßio inspicienda est, sed bona uoluntas Dei patris uolentis per ignominiam glorificare. Nam sic exponit seipsum Paulus. Non sunt condignæ &c. Igitur quod de merito ex alijs locis obijci solet uel ex hoc uno loco quem iam tractamus solui potest, tantum abest ut hic confirmetur. Charitas exhibetur in sanctos propter spem repositam in cœlis, quam spem concipis non ex opere quod facis quasi hoc opus dignum sit cui merces debeatur in cœlis, sed quàm concipis ex promißione Dei promittentis cœlestia, si hoc & illud feceris, quemadmodum si centum aureos tibi promitterem si propter me ires in forum. Id quod aperte hic sic dicitur: De qua spe prius audieratis per sermonem ueracem Euangelij. Vides eos fecisse bona propter spem, non quod aliquid debebatur operi, sed quod pro opere promissum erat. Solius ergo uerbi Dei fiducia facienda sunt bona ad placendum Deo, ut omnia fiant ex fide.

Simile.

In toto

In toto mundo.

Hyperbole est.

Per sermonem ueracem Euangelij.

In græco est Hebraismus multo efficacius significans sic: In sermone ueritatis Euangelij. Euangelium dicitur *sermo ueritatis, non solum ideo quod in se uerum est sed multo magis quod ueraces facit & talia corda quale ipsũ est.* Alioqui *sine euangelio, omnis homo mendax.* Est autem Euangelium *cognitio gratiæ & misericordiæ* Dei *per Christum &c.* Id *quod subdit:* Audistis & cognouistis *gratiam* Dei *per ueritatem.* Per *ueritatem siue (ut* Hebraismus *i græco habet) in ueritate audire & cognoscere gratiam* Dei, *est non uane audire, non uane scire et legere de gratia* Euãgelica, *sed fide intelligere promissiones* Dei, *qua fide & intelligentia spiritus* Dei *imbuit & perfundit corda nostra, ut fructificet* Euangelium *in nobis, quod si uere in nobis est, sine fructu esse non potest.* Semẽ *enim quod cecidit in terram bonã aliud attulit etc.* Alioq̃ *fides ficta est & charitas simulata, ut* Paulus *uocare solet* Fidem *autem ueram hic uocat, sermonem ueritatis* Euangelij, *fructificantem, auditam & cognitam gratiam* Dei *per ueritatem, dilectionem in spiritu, id est, nõ carnalem, non fictam &c.*

Vt impleamini &c.

Hoc *& postulat* Ephe *1. & fere ubiq;.* Qui *credere cœpit scit quidem per* Dei *gratiam & uere credere, sed nunquam satis & perfecte credere, ut semper esuriat et*

sitiat

sitiat iustitiã, quæ est ex fide, donec saturetur, id quod in hac uita non fiet. 1. Corint. 13. Videmus nunc per speculũ &c. Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Philippen. 3. Ego non arbitror me apprehendisse &c. Circuncisio spiritualis semper circuncidit, & baptismus ignis & spiritus semper exurit & carnem purgat, donec consummetur. Hic uero uide Christiani pectoris obsequium, quod non solum coram Deo solicitum est pro se, sed & pro alijs, ut crescant in cognitione Dei, donec occurramus omnes Christo in uirum perfectum &c. Ephesi. 4. ut discernamus inter uoluntatem Dei & nostram. Deus enim nos regit sua uoluntate contra uoluntatem nostram. Roma. 12. Vt probetis quæ sit uoluntas &c. Tanta enim per Christum gratia nobis contigit, ut ne unquam quidem satis intelligi & credi possit. Immo hoc ipsum quod credimus & in fide crescimus, nullo nostro ingenio aut studio fit, sed per immensam Dei operantis in nobis potentiam, qua suscitauit IESVM Christum à mortuis &c. Ephesi. 1. Id quod hic quoque ita dicit: Omni robore corroborati iuxta potentiam gloriæ illius. Ephe. 6. Confortamini in Domino & in potentia ueritatis eius &c. 1. Thess. 2. Deus operatur in uobis, qui credidistis. Hæc scilicet est uis Euangelij, id est, potentia Dei per Christum aduersus peccatum & mortem. Tam potens est fides, id est, cognita misericordia Dei.

Sapientia & prudentia.

Vbi absolute ponuntur in scripturis, non uana sunt uo-

cabula, ut apud Philosophos, sed significāt ueram, id est, non mundi sapientiam & prudentiam, id quod hic addit, dicens: In omni sapientia & prudentia spirituali. Est ergo sapientia, ut noris ea quæ Dei sunt, Ephe. 1. Vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det uobis spiritū sapientiæ, & reuelationem &c. Prudentia uero ut noris cauere, quicquid huic sapientiæ aduersum est, doctrinas & traditiones humanas, & omnes aduersarij insidias, qui id nititur, ut à simplicitate, qua simpliciter uerbo dei inhæremus, nos abducat quemadmodum Euam, ut dicitur. 2. Corin. 11. Hac prudentia non minus est opus, quam sapientia prædicta, sicut iubet dominus, ut simus prudentes sicut serpentes: & ut semper uigilemus. Vnde Ephesi. 6. Non est nobis lucta aduersus &c.

Sapientia

prudentia

Vt ambuletis &c.

Phil. 1. Tantum ut dignum est Euangelio, conuersemini. Ephe. 4. Hortor itaq;.

Ad omnem tolerantiam &c.

Potentia Dei in nobis operatur, non solum, ut credamus, sed etiā ut patiamur pro euangelio, & hoc cum gaudio, id est, libero spū. Phil. 1. Quia uobis donatum est &c.

Gratias agentes &c.

Hæc est amplifictio gratulationis, qua describit euāgelium, id est, amplitudinem potestatis & misericordiæ per Christum nobis exhibitæ, sicut Ephe. 1. Benedictus deus &c. Qui, inquit, idoneos nos fecit non nostra merita, ut participes simus sortis sanctorum, id est, ut habeamus

mus communionem hæreditatis cum sanctis, quæ est in lumine, id est, cognitione Euangelij Christi. Contra ubi ista cognitio non est, tenebræ sunt & error. 2. Cor. 4. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum &c. Ephe. 5. Eratis quondā tenebræ &c. Regnū Christi est regnū lucis. Regnum mundi est regnū tenebrarū. Christus est lux mundi. Diabolus est excæcatio mundi. 2. Cor. 4. In quibus deus huius sæculi &c. Vnde & in Euangelio, illi qui uidebantur esse in regno lucis quasi fideles, quia fidem non habēt, quā solā hoc regnum requirit, eijciuntur in tenebras exteriores, id est, in tenebras illas quæ extra hoc regnū sūt. Nō enim (ut hoc obiter dicam) cōuenit mihi cūm illis, qui tenebras exteriores dictas putant, quòd etiam, ut aiunt, sint aliquæ tenebræ interiores, sed simpliciter intelligo intus esse lucem, extra esse tenebras, & in tenebras, quæ extra sunt, ruere eum, qui eijcitur è consortio lucis.

Regnum Christi

Tenebræ exteriores.

Dilecti.

Ergo qui sumus in Christo, non diligi non possumus à Deo, quia diligit Christum, in cuius regnum translati sumus, & cuius capitis membra facti sumus. Ephe. 1. Qui dilectos reddidit nos in dilecto filio suo. Vnde sequitur. Per quem habemus &c.

Qui est imago.

Amplificatione adhuc latius excurrit, faciens Christū caput & principiū ubiq;, siue inspicias opera creationis, siue opa recreatiōis & redēptionis. Ibi est ipse primo

genitus ante omnem creaturam omnis creaturæ autor et Dominus· Hic uero primogenitus ante omnem creaturæ glorificationē, primus qui resurrectione glorificatus sit, nouæ creaturæ autor & dominus, caput corporis Ecclesiæ &c· Quoniam sic placuit patri (ne quid meritis hominum tribuatur) ut omnia eßent in Christo, per quem sicut omnia condita sunt, ita & perdita, reuiuiscerent per sanguinem crucis & corpus carnis suæ, quod assumpserat· Hæc omnia magna persuasione confirmant fidem nostrā· In quo enim non securos iubet nos esse pater, qui dedit nobis filium, & cum illo omnia quæ habet? Ro· 8· Vnde Hebræ· 1· Filium constituit hæredem omnium &c·

Imago.

Hebr· 1· Phil· 2· Forma Dei inconspicui· Ioan· 1· Deum nemo uidit unquam· Deum nemo cognoscet nisi per hanc uiuam, & ut ita dicam, substantialem imaginem· i· Christum, Mat: 11 Nemo nouit patrem nisi filius &c· habitat enim pater lucē inaccesßibilem, ad quā ratio accedere nō potest, quē nullus hoīm uidit, sed nec uidere potest· 1. Tim· 6· Iccirco uerbū caro factū est, ut per stultitiā cognosceretur Deus, qui per sapientiā cognosci non potuit· 1· Cor· 1·

Primogenitus·

Id est, genitus in diuina natura ante omnem creaturā, quòd omnia creata sint per illum & in illum, siue ꝓpter illum: & omnia per illum & in illo conseruentur, ut dicitur Heb· 1· Portans omnia uerbo uirtutis suæ·

Siue throni &c· Id est, sit etiā quæcunq; potestas siue

in

in cœlo siue in terra, siue in inferis, ut diximus Ephe. 1. Nihil ergo est q. ex hoc et similibus locis sibi uenentur quidã noĩa chororũ angelicorũ sine scripturæ cõsuetudine.

Primogenitus ex mortuis. 1. Corin. 15. primitiæ dormientium Christus dicitur, per quem est resurrectio mortuorum, sicut per Adam mors. Primus resurrectione glorificatus est, ut nos omnes resurrectione glorificaret. Ro. 4. Mortuus est propter delicta nostra. Et res. Sunt quidem aliqui ante Christi resurrectionem olim resuscitati, sed planè ad uitam animalem, quam antea habuerant, quam rursum oportebat per mortem deponere. Resurrectio autem est renouatio, qua corpus animale fit spirituale, & mortale immortale. 1. Cor. 15. Cuius resurrectionis Christus est primogenitus &c.

Pacificatis &c.

Hanc pacem fecit cõscientijs nostris, ut pax sit omnia nobis cum omnibus creaturis, siue quæ sunt in cœlo, siue quæ in terra: imò cum ipso creaturarum conditore. Vide Ephe. 1. Proposuit in seipso instaurare &c.

Et uos qui quondam. Ephe. 2.

Abalienati.

A deo.

Inimici mente.

Id est, ignorantes Dei, contemptores Dei, blasphemos &c. ut non cogites solum affectus illos crassos, et fructus solum impietatis, sed ipsam impietatem & radicem uitiorum, id est, ipsum penitius latentem Adam.

Sanctos.

Id est, purificatos spiritu.

Irreprehensibiles.

Id est, non hypocritica iustitia.

Inculpatos siue inaccusabiles.

Id est, qui q̃uis peccatores, tamẽ accusari nõ possunt, ne lege quidẽ dei ꝓpter fidẽ in Christũ, q̃ est iustitia credentiũ.

Vt exhiberet. *Ephe. 5 de ecclesia sponsa.*

In conspectu suo.

Siquidem

Pro si tantũ positũ est. Hic uides fundamentũ, in quo nos cõsistere ubiq; uult. Reliqua oĩa nihil sunt sine fide et spe.

Apud uniuersam.

Sicut suprà: In toto mundo.

Nunc gaudeo. 3.

Phil. 2. Quin etiam si immolor &c. Ephe. 3. Ne deficiatis &c. Gaudet Paul. quia sua afflictione & passione siue uinculis suis confirmat Colossensibus & omnibus fidelibus Euangelium &c. Atq; hac imagine, id est, cruce, cõmendat se esse ministrum Euangelij, sicut alibi dictũ.

Et suppleo &c.

Non intellige diminutam fuisse Christi passionem, ut oportuerit adhuc pati Paulum pro nobis, id quod ineptissime simul & impie dixeris, & contra Paulum, qui suprà dixit, Pacificatis &c. Sed ita accipe, Christus passus est, & omnes sancti patiuntur imitatione Christi, secundum illud, Omnes qui pie uolunt &c: Et certum

est, nondum esse paßos sanctos, qui adhuc passuri sunt, sicut nondum paßus erat Paulus, quando adhuc paßurus erat. Hoc ergo adhuc deest, quod nondum factum est, & fieri oportet. Sunt autem afflictiones sanctorum, afflictiones Christi, sicut clamat ad Paulum: Saule, Saule &c. Id quod maxime nos consolatur, quod passiones nostræ sunt Christi, quæ utcunque patiamur, ita placet Deo patri, sicut Christi paßiones placuerunt, ne dubitemus nos cum Christo glorificandos, si compatimur. Atque hæc patitur Paulus pro ecclesia, id est, pro Euangelio, quod prædicauerat ipsi ecclesiæ, sua passione confirmando. Sicut enim nemo sibi uiuit & moritur, Roma. 14. sic nemo sibi patitur. Omnia electis cedunt in bonum &c.

Cuius factus.

Hæc dicit contra pseudapostolos non uocatos à Deo.

In uos.

Siue per me, siue per meos discipulos Epaphram, Archippum &c.

Mysterium.

De mysterio, quod Gentes quoque pertineant ad Euangelij gratiam, dictum est in Ephe. non semel.

Diuitiæ. Quòd gratis donat peccata, quod reliqua non imputat, quod omnia etiam peßima facit cedere in bonum, quod considere facit nos Christo in cœlestibus.

Omnem hominem.

Id est, etiam Gentes. Non est enim iam acceptio &c.

Sapientia. Vt suprà.

Perfectnm.

Id est, credentem & fidentem soli Deo per Christum. Id quia cœpit in nobis, pro perfectione nobis imputatur, qui desistere nolumus, donec à Deo, qui cœpit, perficiamur. Philip. 3. Non q apprehenderim, aut iam perfectus sim &c. & mox: Quotquot itaq; perfecti sumus &c. Vnde hic notanter addit, perfectum in Christo Iesu, in quo tibi nihil deest, qui in te nihil habes.

Ad quod.

Id est, ut hoc munus perficiã. Vide hic, quam efficaciã spiritus Dei in se senserit Paulus, ut non doceant, qui nullo animarum zelo tanguntur, qui sua tantum quærunt, nihil soliciti pro ouibus &c.

CAPVT II.

QVæ ad hoc cap. pertinent, ferè ante exordium huius epistolæ diximus. Est autẽ tota disputatio contra doctrinas & traditiones humanas &c.

Solicitudinem &c.

Ne lupi, id est, iustitiæ humanæ prædicatores inuadãt simplicitatem gregis dominici, hi sunt pseudapostoli. Sic dicit Ephesiorum Episcopis. Act 20. Ego scio q intrabũt &c. Vnde. 2. Corin. 11. Inter labores suos etiam numerat solicitudinem omnium ecclesiarum.

Vt consolationem accipiant.

Vel potius, ut confirmentur, qui iam sunt unum in charitate.

ritate. Hoc est, ne patiātur se sectis operū separari, sicut hodie sectas uidemus, postquā à simplicitate uerbi dei ad doctrinas operū desciuimus. Et confirmentur, inquit ad omnē opulentiā, siue abundantiā certissimæ intelligētiæ, ut audeant ex corde dicere: Etiā si angelus è cœlis aliud euangelizet, anathema sit. Hoc scilicet est uere credere & agnoscere mysteriū dei patris & Christi, mundo, hoc est, carni & sanguini incognitum, quandoquidē non in reb. externis, sed in spiritu regnū dei & Christi eius est in nobis, in quo Christo sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ dei reconditi: ergo Christo uere cognito, nihil opus est ut aliud extra Christū sapias aut scias, imò quicqd huic sapiētiæ & scientiæ addere cupieris, uanum est & Christo aduersum: iniuriā enim facis Christo, quasi illi aliquid desit sapientiæ & scientiæ, qui in Christo sapiens est et prudens. Atq; per hoc cōtemptissime reijcit Paulus doctrinas humanas, imò etiam iustitias carnales operū legis dei, dicens: Hoc aūt dico, id est, ad hoc his uerbis tendo &c.

Probabilitate.

Id est, Sophisticis argutijs, rhetoricis argumentis, quasi uerisimilibus, specioso fuco rationis humanæ, quasi in alijs foris nitidis, & in speciem sanctis rebus sit iustitia, et non in sola Christi cognitione, id est, fide. 1. Cor. 2. Sermo meus non fuit in persuasorijs humanæ &c. Vide quæ illic dicuntur de sapientia uera, & sapientia humana.

Spiritu

Sic. 1. Corinth. quinto. Ego quidem absens corpo-

re, præsens autem spiritu· i· animo, uoluntate & affectu·

Constitutionem.

Id est, statuta uel traditiones·

Elementa mundi.

Vocat res externas, id est, non spirituales, hoc est, quæ non sunt in spiritu, siue sint opera ab hominibus inuenta, siue etiam opera legis diuinæ secundum carnem, id est, exteriorem fucum intellectæ, ut aperte uides Gal ·4· Quomodo conuertimini iterum ad infirma & imperfecta elementa, quibus denuo seruire uultis· Dies obseruatis &c:

Non iuxta Christum.

Cuius regnum & iustitia in spiritu est, non in externis rebus aut operibus· Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo. Spiritus est Deus &c·

Quoniam in illo &c,

Suprà dixit, in Christo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, ne quid opus esset, scires, alia sapientia & scientia· Hic uero quasi plus addēs, imò omnia in Christo complectens, dicit: Quoniam in illo &c· ne opus putes esse alia iustitia extra Christum, cū Christum habēs uere deū habeas, non in figuris & repræsentatiue ut olim in ceremonijs & operibus legis· Et hoc est quod ait, corporaliter, id est, uere, non umbratice, ut distinguas hic corpus non contra spiritum, sed contra umbram· Vmbra enim & figura solum fuerunt illa priora huius gratiæ dei, quā habemus in Christo, sicut infrà, Quæ, inquit, sunt umbra futurorum, corpus autem Christi·

Est iis

Estis in illo completi.

Id est, in illo uobis nihil deest, frustra ergo extra eum aliquid quæritis. Nihil enim tam sublime siue in cælo siue in terra cuius ipse non sit dominus, quippe qui uere deus est. Est ergo & dominus legis diuinæ, ne quis hic obijciat, non esse eum à deo qui legem diuinam abrogat, sicut calumniabantur Iudæi. Non est uastator legis qui legem implet, qui facit quicquid lex requirit. Non uobis igitur prædicent circuncisionem ut reddant obnoxios ad uniuersam legem, ut dicitur Gal. 5. quòd circuncisi estis à peccatis in spiritu & commortui Christo per baptismum, ut amplius uiuatis non secundum carnem, non in elementis huius mundi quasi in talibus sit iustitia, ut infrà uidebimus. Et conresurrexistis iam per fidem quam operatur in spiritu nostro deus potentia qua excitauit IESVM à mortuis, ut uides Ephe. 1. De circuncisione uero & baptismo diximus Philip. 3.

Et uos cum essetis &c.

Idem locus est Ephe. 2. & similiter de abrogatione legis.

Per præputium.

Id est, per gentilitatē qua in carne uiuebatis uere mortui coram deo. Hoc præputium est ubi nondum facta est aut cœpit illa spiritualis circuncisio.

Deleto &c.

Vbi lex peccatū cordi nostro reuelat, id est, facit cōscientiam peccati & confundit, adeo fortiter hoc ipsum peccatum

catum

catum nostrum inscribit cordi siue conscientiæ ut nullo modo deleri possit · Hinc factum ut quidã sibi ipsis mortem cõsciuerint, alij uero ut dicitur Ephe·4· posteaquam peruenerunt eò ut dolere desierint semetipsos tradiderint lasciuiæ ad patrandam immundiciam omnem cum auiditate · Iam uides legem cum sit tantũ cognitio peccati, Ro·7· nihil aliud poße quàm confundere & damnare & in desperationẽ agere · Est enim lex uirtus peccati·1· Co·15· Quis ergo nos liberabit ab hac infelici cõscientia, nisi solus Christus? Si credis ĩ Christũ, iustitia Christi tua est, et protinus peccatũ tuum nihil est, & euanescit à præsentia huius fidei ut fumus, totus ille inferorum exercitus qui te reum agebat, ut possis hic morti, peccato et inferis insultare dicens: Absorpta est mors in uictoria &c·1·Co·15·Hæc enĩ deuicta sunt per Christũ & tibi deuicta sunt modo hoc ipsum credas· Nam ipse, ut hic dicitur, condonauit nobis omnia delicta, nõ quæsiuit à nobis satisfactionem quã impossibile erat præstari à nobis, ipse enĩ satisfecit gratis pro nobis deleto chirographo, id est, scriptura cõscientiæ nostræ, quæ aboletur ubi credis Christum esse tuam iustitiã, qđ chirographũ erat nobis aduersum per decreta, id est, per legẽ dei quæ nos reos agebat, qđ abstulit Christus affigens illud cruci· Si ergo credis in cruce satisfactũ pro peccatis iam amplius cõscientia tui peccati quantũuis magni non te cõdemnabit, sed pacata conscientia gaudebis te in Christo esse saluum, qui in te damnatus es, nisi putes salutẽ Christi nõ esse potentiorem

tua

tua damnatione. Hic mortis dominos & principes tenebrarum qui sunt conscientiarum terrores palàm duxit in triumpho per semetipsum. Id quod fieri impoßibile est p nos aut studia nostra. Atq; hic uides iterũ insignem abrogatæ per Christum legis locum qui est & in Ephe. ca. 2. Igitur, inquit Paulus, quid adhuc decretis & statutis legum in conscientia uestra tenemini, quasi ea uel officiant uel prosint ad iustitiam?

Vmbra.

Lex prohibebat edere immunda, Leuit. 11. quod significabat mundum debere esse dei populum. Tit. 1. Omnia munda mundis &c. Festa, nouilunia & sabbata. Leuit. 23. significabant gaudium conscientiæ, innouationem hominis & sabbatum illud Christianum quo requiescimus ab operibus nostris non facientes uoluntatem nostram, sed dei operantis in nobis per Euangelium suum à nobis creditũ. Propterea uocat Paulus hæc umbrã & figuram futurorũ, id est, futuræ gratiæ quæ est per fidem in Christum. Hæc reijcit etiam Esaias cap. 1. quia qui hac hypocrisi legis utebantur erant immundi coram deo, id est, increduli. Vmbra, inquam, erant, corpus, id est, ipsum significatum & ipsa rei ueritas est Christi, id est, in Christum siue in Christi gratiam quæ uere iustificat, hæc omnia tendebant.

Nequis &c.

Palmam interuertat, id est, fraude efficiat ne palma uictoriæ uobis detur, ne ad scopũ præfixum perueniatis &c.

&c. Verbum enim græcũ hic significat intercipere præmium siue brauium, aut scopum transferre ne quis uincat. Id quod proprie faciunt qui aliam iustitiam quã Christi docentes, Christum qui prope factus est nobis in sanguine suo, longe transferunt à nobis, in primis qui data opera simulata humilitate & modestia & superstitione reuelationum fictarum & uitæ angelicæ seducunt & dementant totum ferè orbem, ut suprà diximus, superbi sua sanctitate quæ est hypocrisis & fermentum illud pharisæorum affirmantium ea quæ non intelligunt. Qui non tenent caput, id est Christũ. Nam Christi iustitiam ignorant. Ergo nihil magis uitam habent & ueram iustitiam quàm corpus sine capite, & æque patent ruinæ ad insultus procellarum ac domus sine fundamento. Caput est uita & augmentum corporis &c. Ephe. 4.

A mente carnis suæ.

In quo uides facile, quid carnem soleat uocare Paulus, nempe, quicquid à spiritu dei non proficiscitur aut ad spiritum non pertinet aut omnino diuersum est à spiritu, quod carnem etiam uides menti tributam &c.

Itaque &c.

Argumentum. Mortui estis cum Christo, quid ergo quasi uiuentes elementis mundi seruire uultis, id est, in externis rebus quærere dei iustitiam? quid permittitis uos legibus obstringi humanis quos Christus in conscientijs fecit liberos? Quid sinitis uobis dici. Ne tetigeris &c? quæ

omnia

omnia pereunt abusu, propter traditiones hominum, quæ tangere, gustare, contrectare alioqui non esset neq; malum neq; bonum. Legitur & sic: Quæ omnia pereunt ipso usu, id est, utendo consumuntur. Qu d. iustitia dei æterna est: Quicquid perit usu æternum non est, ut sunt omnia externa, Ergo in talibus iustitia dei non est &c. Apparent quidem sancta sed ficta sanctitate & humilitate, id est, hypocrita deuotione, ita ut etiam ne necessaria quidem corpori tribuant aut parcant. Ecce habes religiones fratrum illorum qui etiam sua opinione se sanctos non iudicare non possunt. Et tales sunt qui nobis ieiunia & disciplinas tanta specie commendant ac merita uendunt. Ieiunandum quidem est necessitate corporis castigandi ne superbiat contra spiritum, sed nō secundum regulam & præscriptum ieiunandum. Orandum est sed non iuxta ordinarium aut statuta, sed iuxta cordis desirium &c. Iccirco sic Paulus. 1. Timo. 4. Exerce teipsum ad pietatem. Nam &c. Mortificationem enim non recte intelligunt quam interpretatur nobis Paulus cap. sequen. Mortificate &c.

CAPVT III.

HAEC quoq; ad præcedentia attinent. Resurrexistis & emortui estis cum CHRISTO huic mundo & huius mundi elementis, nolite ergo iustitiam ponere & fiduciam in rebus quibuscunque

externis

externis & terrenis quae uideri possunt, caelestia curate, id est, spiritualia quae non uidentur: Regnum Christi non est de hoc mundo. Quicquid ergo pomparũ & iustitiae externae nobis ostentatur fucus est & hypocrisis. Quandoquidem sicut Christus est absconditus, & nemo nouit filium nisi pater & cui uoluerit pater reuelare, sicut dicitur Matth. 16. Caro &c. & nemo nouit patrem nisi filius et cui uoluerit filius reuelare, ut dicitur Matth. 11. Sic & Christiani ueri absconditi sunt, et nouit deus qui sunt eius. 2. Timoth. 2. Filij quidẽ dei sunt sed primũ tales esse apparebit in futura resurrectione. 1. Ioan. 3. & Rom. 8. Igitur iterum merum mendaciũ est et orbis seductio quicquid externarũ rerum pro iustitia siue regno dei cõputatur. Sequitur quoq; illos nihil minus esse quã Christianos qui se pro Christianis hactenus uenditarunt, imò ne hoc quidem cõtenti, uoluerunt etiam plus esse quã Christiani, id est, caeteris pfectiores, cũ in spiritu ubi est illa Christiana iustitia non sit differentia operum minoris & maioris. Omnia enim sunt apud deum aequalia opera quae inter se comparata apud nos sunt magna & parua, sicut infra dicit: Quicquid egeritis sermone aut facto omnia in nomine domini IESV facite gratias agẽtes deo et patri per illum Et. 1. Corin. 10. Siue mãducatis siue bibitis uel aliud quid facitis omnia in gloriã dei facite. Item, in spiritu siue in Christo nõ est differẽtia personarũ: Non enim illic est, ut infra dicitur, Graecus & Iudaeus &c. Vnde ergo ista Christianis nomina, Frãciscanus, Augustinianus &c. Vnde

&c. Vnde

&c. Vnde diuersus ille habitus albus, niger &c. quē sub pœna æternæ maledictionis non licet immutare Hoccine est iustitiam istis nugis imputare? Vnde tandem laicus et clericus? Ministeria & diuersa dona spiritusβancti sunt inter uere Christianos, ut est. 1. Corinth. 12. sectæ uero tam uariæ sicut figmentum dæmonij meridiani & angeli Satanæ in angelum lucis transformati, ut mundus seducatur signis & portentis mendacibus, quæ satis multa impij prædicatores ex phiala iræ dei in mundum effuderunt, ut credant mendacio qui dilectionem ueritatis ut salui fierent suscipere noluerunt. Iam tandem uidemus quid Pauli uerba possint, quam spiritu plena sint. Non potest hic amplius latere diabolus præ luce istorum uerborum. Dabit quandoq; spiritus Christi, ut hæc ipsa clarius adhuc uideamus.

Mortificate &c.

Iam post tractatam fidem parænes es morum Christianorum, ut solet, describit, contra illos qui ubi audiunt libertatem spiritus intelligunt libertatem carnis putantq; sibi quiduis licere. Mortificate, inquit &c. supra dixit, Resurrexistis, mortui estis, quæ oportet sic intelligi: Resurgere cœpistis, mori cœpistis, sicut iam ante diximus de perfectione & de circumcisione & baptismo. Alioqui hic rursum non diceret, Mortificate. Hic prætera uides quid scriptura uocet mortificationem, nempe, uoluntatis nostræ & nostram ipsorum abnegationem, non ut uigilijs, cruciatibus, inedia perimas ista membra quæ ui-

des in corpore tuo, sed membra corporis peccati, stuprũ, immundiciam &c. quae ab actu externo temperari ad tẽpus exercitio corporis, uigilia, ieiunio, labore, poßunt, sicut Poëta dixit: Sine Cerere et Baccho friget Venus. sed occidi non possunt nisi spiritu, sicut dicitur Gal. 5. spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

Auariciam.

Ephesios quinto.

Intractabiles.

Qui non sinunt se persuaderi uerbo ueritatis.

Exuistis &c.

Ephesios quarto.

Renouatur &c.

Vide hic restitutionem imaginis Dei in Adam perditae. Iam restituitur lux dei per Euangeliũ ut uiuamus sicut filij Dei, imitatione Dei patris beati, qui hactenus caecitate imaginem habuimus principis tenebrarum.

Super omnia.

Scilicet sitis induti charitatem &c.

Charitatem.

De qua Ephe. 4 & Philip 2. Quae, inquit, est uinculum perfectionis siue integritatis, id est, quae neruus est quo perfectio & integritas corporis Christi, id est, ecclesiae colligatur, ut membra in corpore animantis. Nullo enim alio uinculo cohaerent membra Christi. Potest uideri Paulus, ut paulo ante ad carnes animantis, cum dixit: Viscera miserationum quae sunt comitas &c. ita nunc ad

pellem

pellem allusisse, cum dixit: Super omnia induti charitatẽ. Sicut enim pellis omnia continet & quasi colligat quæ sunt in corpore, ita charitas omnia prædicta simul continet & membra Christi in unitate claudit.

Et pax Dei triumphet.

Pax, inquit, Dei, unde addit, in cordibus. Hãc pacem mundus non nouit. Ioan. 14. Pacem meam etc. Hanc deus in suis adeo pot-ntem efficit, ut nulla iniuria proximorũ, nulla aduersitate, nulla tentatione possit labefactari. Ro. 5. Gloriamur & in tribulationibus. Fit quidem ut quandoq; derelicti à Deo uideamur & huius pacis ne uestigiũ quidem uideatur, sed quia radices profundius egit ista tẽpestate deijci non potest, imò fortius contra ista mala insurgit, ubi amissa uictoria uidebatur, cuius exemplum habes in Paulo. 2. Cor. 1. Ad hanc pacem dicit hic Paulus nos uocatos. Vbi uero ista nõ fuerit charitas in corpore ecclesiæ seruari nõ poterit, iccirco ne ecclesia quidem erit.

Grati.

Id est, gratias agentes, infrà.

Sermo Christi.

Id est, doctrina, ut hæc abundet in uobis ut præter hãc nullam admittatis nisi uelitis corpus discerpere Christi.

Docete.

Vides quam hoc longe aliud sit à nostris cantionibus & clamoribus, in quibus nihil respicitur nisi uanus sonus, nemo per hæc docet alios aut commonet &c. Similia habes 1. Corin. decimoquarto.

Et quicquid.

De hoc supra diximus.

Vxores &c.

Vide hæc Ephe. 5. & 6.

Despondeant animum.

Id est, desperent & odio parentum fiant intractabiles facientes quiduis &c.

CAPVT IIII.

AEquitatem.

Id est qđ debetur eis & quod honestum est.

Aequabilitatem.

Id est, ne alium in delicijs foueatis, alium opprimatis, aut ne permittatis ut serui seruis dominentur, id quod intolerabile est ubi spiritus dei non adest.

Obsecrationi.

Idem Ephe. 6.

Sapienter.

Ne sitis alicui scandalo, ne blasphemetur propter uos, sicut dicitur Rom. 2. *inter gentes, id est, inter eos qui nondum nouerunt* Euangelium *Christi & dei ueritatem.* Con*tra quod faciunt qui tam fœde abutuntur libertate* Euan*gelica sine libertate, serui enim sunt scandalorum & nihil nisi mera scandala. Sed necesse est talia esse scandala ubi* Euangelium *prædicatur.* Veruntamen *uæ homini illi per quem scandalum uenit &c.*

Opportu-

Opportunitatem redimentes.

Ephes. quinto: Redimentes tempus &c.

Sermo.

Vel doctrina.

Sale.

Id est, eruditione & iudicio.

Vt sciatis &c.

Ne omnia omnibus dicatis: Infirmis alia, alia prouectis: alia incredulis, alia credentibus: alijs dure, alijs blande &c.

Consobrinus.

Vel nepos.

Ex circumcisione.

Id est, Iudæi, sicut suprà.

Ex uobis.

Id est, ex Gentibus secundum carnem, ut erant Colossenses.

F I N I S.

IO. POMERANI ANNOTATIONES

IN EPISTOLAM PRIMAM D. PAVLI

ad Thessalonicenses.

THessalonicenses, cum audisset Pauli prædicationem, in fide perstiterunt, quibus tamē Paulus non timere nō potuit, propter pseudapostolos ubiq; ad confidentiam operum solicitantes, quod ipsi erat, sicut alibi dicit, solicitudo omnium Ecclesiarum. Exordiens uero (quod solet) à gratulatione, duos primum, & Thessalonicensium et suo exemplo, insignes ostendit locos: alterum, quàm efficax, quàm certum, quàm perseuerans & constans sit Christi Euangelium in auditoribus, qui uere suscipiunt illud per spiritum sanctum, qui nullo probro, damno, aut iniuria, ne morte quidem, discedunt à spiritu, quem per auditum uerbi Dei conceperunt. Hæc uides toto capite primo et sequenti, ubi dicitur: Quapropter & nos gratias agimus Deo indesinenter &c. Ad ista quoq; pertinent illæ paræneses morū Christianorum, quas uides capite quarto in principio, & capite quinto in fine. Alterum, qualem oporteat esse Euangelij ministrum, id quod suo exemplo ostendit duobus capitibus, secundo scilicet & tertio, latenter notans, qui sint pseudapostoli, nempe, qui adulantur, quærentes sua cōmoda &

dis & honorem. Sunt & alij loci in hac Epistola, ut ille, quòd impij semper proficiunt in peius, usq; ad consumma tam iram Dei. Sed hic locus paucis est indicatus capite secundo his uerbis: Vt expleant, inquit, peccata sua semper. Peruenit autem ira in illos in finem. Item capite quarto est locus de scortatione, quam abominatur Deus, & de sancti ficatione, quam solam uult deus. Item, de inordinate uiuentibus, capite quarto: Obsecramus autem &c. Sed hic locus expreßius scribitur in epistola secunda, capite tertio. Praeterea hic habes mysterium reuelatum de dormientibus & resurrectione nouißima, capite quarto, & de incerto die aduentus Christi capite quinto, ubi & docet, nos semper ad eum diem oportere esse paratos.

PAulus, & Syluanus, & Timotheus.

Cum haec Epistola sit Pauli, non tamen ipse Paulus dedignatur consortes facere Epistolae, quos consortes habet ministerij uerbi, non sibi soli arrogans magisterium, ut ij qui sua quaerunt. Didicerat enim à Christo: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Itaq; ueri Apostoli, nihil aliud curant, quàm ut ministerium suum compleant, praedicato uerbo in gloriam Dei, nihil soliciti de sua, uel gloria, uel ignominia.

In Deo Patre, quae est.

Patre, ipsorum, ut mox: A Deo Patre nostro, ne intelligas Patrem CHRISTI &c.

Gratias &c.

Gratulatio, qua gaudet de profectu eorum, qui audierant uerbum salutis. Ex qua discimus, exemplo Pauli, Syluani, & Timothei, boni pastoris esse, non solum pascere uerbo, id quod in primis necessarium est, uerum etiam gratias agere de profectu ouium, ut norit omnia eò referre, unde profecta sunt. Insuper & orare, ut permaneant, & magis crescant in fide & spe Domini nostri IESV Christi, ut norit omnia inde petenda, ubi uere sunt, id est, à Deo. Hæc omnia didicimus à Christo, & in Christo uidimus, cuius tota uita nihil aliud fuit quàm doctrina, qui & uerba uitæ, sicut Petrus ait Ioannis sexto, nobis ministrauit, qui reuersis quandoq; ex prædicatione discipulis, gratias egit Patri, dicens: Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ &c. Præterea totas quandoq; noctes orauit, non dubium, quin pro nostra salute. Nam quales eius orationes fuerint, uel illa nouiss. oratio, quam legis Ioan 17. sit argumento.

Propter opus fidei &c.

Duo eis gratulatur, in quibus constat summa totius Christianæ rei. Alterum est solicitudo in fratres, id quod uocat opus fidei & laborem charitatis: Alterum est quòd permanserint in fide, etiam damnis & iniurijs affecti, sicut capite secundo uides, ubi dicitur: Vos enim imitatores &c. In aduersis enim probatur fides, sicut dicitur Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes uero non confundit. Porrò qui in tentationibus & persecutionibus cadunt, & negant quod antea pro-

tea professi sunt, in illis fuit aut mera hypocrisis, ut de quibus Christus dicit, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: aut magna adhuc infirmitas, quam ipsi nescierunt, ut uides in Petri negatione, quibus utile fuerit cecidisse, quòd sine tali casu salui esse nequeant. Expedit enim eis, atque adeo necessarium est ad salutem, ut discant nosse sese, & sitire salutem, quam ex se habere nequeunt, quibus consolationi sit, quod Christus ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Igitur hic eleganter additum est: Coram Deo & Patre nostro, quo significat, non hypocrisim fuisse fidem prius professam, sed uere credentes fuisse in conspectu Dei, qui Pater noster est, quæ sua in nos benignitas est. Nihil nos magis constantes facit in omnibus aduersis, quàm ut cogitemus & sciamus, bonam esse Patris nostri uolũtatem quòd patimur, unde uoluntas nostra mortificetur, & discamus Patris nostri amplecti uoluntatem, quemadmodum & oramus: Pater noster, fiat uoluntas tua, sicut in cælo &c. Quin & hoc aduertendum diligentius, quòd beneficia in proximum exhibita, uocat opus fidei, & laborem charitatis. Opus enim est & labor, id quod dicitur contra illos, qui dilectionẽ solũ esse putant, amicas salutatiões, iucundum conuictum etc. Sic enim dicit Ioannes, Epistola prima, capite tertio: Filioli mei, non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate. Opus autem est fidei, quia eleemosyna quantumcunque copiosa, absque fide, peccatum est. Rata est enim sententia Pauli: Quicquid sine fide

est, peccatum est. Et in Epistola Hebrae. Sine fide impossibile est placere Deo. Et Christus: Non potest arbor mala bonos fructus facere. Item: Sine me nihil potestis facere. Sine Christo est, qui sine fide est. Ergo sicut omnia opera necesse est ex fide fieri, modo placere Deo per ea uelis, ita quoque eleemosynam. Opus ergo fidei est, quod in extremo iudicio hanc audiet sententiam: Esuriui &c. Quid enim aliud est quod dicit: Dedistis mihi, quàm ex fide fecistis, id est, mihi in hoc placere studuistis? Deinde & laborem dicit charitatis, id est, qui ex charitate uenit, hoc est, quo ex animo benefacis proximo indigenti, ut non sit dilectio & charitas simulata uel ficta, quae semper charitas, etiam externo exhibito opere, uult uideri, quod fictionis non dico solum de illis qui odia seruant in corde, quibus Deus seruat omnia ipsorum peccata, ut habes in Parabola Matthaei decimooctauo, sed etiam, & multo amplius, de ijs qui simulatione charitatis pij coram hominibus uolunt uideri, contra quos docet Christus Matthaei sexto: Attendite, ne iustitiam uestram &c. Hoc autem opus fidei, & hunc laborem charitatis, cum aliâs, tum uel maxime experieris, cum re ipsa tibi diligendus fuerit is, qui te laesit inimicus: tunc enim uidebis, quid poßint in te fides & charitas.

Scientes &c.

Insignis est hic locus, quòd qui uere susceperunt Euãgelium, certi sunt, se eße in gratia. Id autem fit sic: Ex auditu fidei spiritus concipitur, ut dicitur Gala. 3. id est, ex uerbo

Dei audito

Dei audi o, & fide credito, datur spiritus in cordibus nostris, hoc uerbum est promißio Dei, gratis promittens remißionem peccatorum per Christum. Spiritus autem Dei ita ex auditu fidei conceptus, testificatur, & testimonium reddit spiritui nostro in cordibus nostris, quòd sumus filij Dei, ut dicitur Roman. 8. in quo spiritu clamamus: Abba Pater. Hæc est scientia Christiana, hæc est uirtus, efficacia spiritus & certitudo, de qua hic dicit Paulus. Hæc est petra, super quam ædificata domus nullis cedit tempestatibus, ne portis quidem inferorum. Miraris ista, sed ubi interrogo te, num credas remißionem peccatorum, respondebis: Credo. Iterum rogo, num credas tibi remißa eße peccata. Hic si hæsitaueris, mentitus es quando dixisti: Credo. Si uero & hic ex corde responderis: Credo, interrogo, qua fiducia credas, cum sis peccator, cui debeatur damnatio. Hic uero tibi sic sentiendum est: Si in opera mea respicio, peccator sum & damnatus: opera inquam, non solum mala, sed etiam bona, quia eis fidere non poßum, quia quantumcunq; ieiunauero, orauero, eleemosynam dedero, nunquam cõscientia mea quieta erit, quasi per hæc sint mihi dimißa peccata: semper enim nutabunda aliud atq; aliud subinde desyderabit conscientia, in uita mea & meis operibus. Si uero in promißionem Dei respicio, id est, in gratiam siue Euangelium, tam certus esse debeo, de gratia, & remißione peccatorum, quàm certum est, eum mentiri non posse qui promisit, & ista fides mihi imputabitur ad iustitiam. Dum enim tribuo Deo

ueritatem,

ueritatem, ipse mihi reddit iustitiam. Haec est iustitia Dei, qua saluor. Vnde saepe in Psal. In tua iustitia libera me Domine. Contrà, de humana iustitia dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Haec sic habet Apostolus Rom. quarto: Ideo, inquit, non ex operibus, ut secundum gratiam firma sit promissio. Haec est securitas, & fiducia conscientiae in conspectu Dei, quam reuelandam olim praedixerunt Prophetae, de qua certitudine lege plura, in Locis Philippi, De charitate & spe.

Quemadmodum nostis &c.

Testes inuocat pro se, conscientias auditorum, quae est magna fiducia doctoris &c. de qua re plura scribit capite sequenti.

Respiciens sermonem.

Exponit quod suprà dixit: Non per sermonem solum, uerumetiam per uirtutem &c. Sermo enim auditus non admixtus fidei, non prodest, ut dicitur Hebr. quarto. Ideo Saluator dicit: Qui habet aures audiendi audiat. Nihil aliud est, recipientes sermonem, quàm credentes sermoni. Quàm uero efficaciter receperint sermonem, addit: Cum afflictione, inquit, multa, cum gaudio spiritus sancti. Atq; hic habes ferè uno uerbo comprehensam illam, quae apparet in Scripturis ferè omnibus, dissonantiam. Alibi enim legis, ut Christum, ita & Christianum populum miserum, pauperem, afflictum, morti destinatum, sicut oues occisionis, & nihil aliud, nisi meras formas crucis. Alibi uero eundem, siue Christum, siue populum Christianū, gloriosum,

diuitem

diuitem, pacis & securitatis abundantem, quin & letitia immortali & æterna plenum. Hæc ita uides sæpe in psalmis & prophetis. Neq; hoc nunc dico solum quod oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam, & quod Christiani cruce huius temporis intrant in gloriam uitæ futuræ. Verum etiam hoc quod inter afflictiones est ista gloria. Nam ita hic dicitur, Recipientes sermonem cum afflictione multa, cum gaudio spiritus sancti. Et Rom. 5. Gloriamur etiam in tribulationibus, scientes &c. Gloriamur etiam in deo per dominum nostrum IESVM Christum per quem nunc reconciliationem accepimus. Gal. 6. Mihi absit gloriari &c. Quem enim diligit dominus corripit &c. Heb. 12. Hoc Christus in Ioanne sic expreßit, In mundo preßuram, in me pacem habebitis. Hoc est quod Colo. 3. dicitur, Pax dei triumphet in cordibus uestris ad quam uocati estis in uno corpore, id est, etiamsi quid molestiæ à fratribus sustinetis tamen illa pax dei superet &c. Afflictio quidem est mundi, et portarum inferorum in probris, damnis, pœnis, turbatione conscientiæ ob peccata & dei iudicia, id est, carnalis est & temporaria. Consolatio uero siue gaudium non carnale est, sed spiritus sancti, ergo & fortißimum cui portæ inferorum præualere non poßunt, & æternum, quod ne mors quidem interrũpet. Vbi uera fides est quod in Christo accepisti remißionem peccatorum, quod in Christo factus es filius dei & hæres omnium, facile atq; adeo cum gaudio suscipies quicquid benigna patris manus tibi intulerit

tulerit quacumq; tandem occasione· Experientia, non litte rate ista docebit, sicut dicitur Heb· 12· Omnis castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij sed molestiæ, at postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs qui per illam fuerint exercitati· Hæc quoq; in Christo uidimus, cuius, tametsi omnis uita nihil aliud quam crux fuerit, ad profectum tamen Euangelij exultauit in spiritusancto, id quod legis Lucæ· 10· quo gaudio nunquam caruit, certus enim erat se benignum habere patrem, tametsi tantis malis quandoq; obrutus sit, ut hoc gaudium sentire non potuerit, sed uere & ex corde clamauerit se à Deo derelictum, id quod uides sæpe in psalmis, ne & tu desperes si quid tale quandoq; senseris·

In omni loco·

Hyperbole est·

In Deum·

Non in opera, aut studia uestra, aut res quascunq; externas, siue, ut Paulus uocat, elementa mundi · Item non in simulachra aurea & argentea, qui nunc est Mammon & auaricia quæ est idolorum cultus· In quãcunq; enim rem fiduciam tuam ponis, illa est Deus tuus· Et impossibile est, ut habeas Deum uerum si in alia re confidis quantumcunq; etiam sancta, aut in homine quantumcunq; sancto· Maledictus enim homo qui confidit in homine & c· Hiere· 17· Deo soli fidendum, secundum primum præceptum: Non habebis Deos alienos coram me · Hic est Deus uiuens uitæ autor & uiuificator, Deus quoq; uerax salutem

tem uere tribuens ijs qui credunt eius promißioni, quandoquidē nec mētiri, nec fallere potest. Cætera omnia mortis sunt nihil minus præstantia quam quod promittunt.

Vt non sit uobis opus loqui.

In his duabus epistolis non tractat fidem ut in alijs, licet omnia quæ hic & ubiq; scribit ad fidem pertineant. Iustificatis ergo cum scribat non opus est eis loqui ut fidem suscipiant, sed egent tantum admonitione ne neglectu uerbi aut pereat quod paratum est, aut non augeatur quod seminatum est. Non enim in solo pane &c. Non est inquam, opus eis loqui, quia iam habent uerbum docti à Deo per ministerium prædicatorum, quemadmodum inuitatis amicis ad grande conuiuium, ubi omnia parata sunt, & ubi editur, bibitur &c. nihil aliud opus est quàm ut sæpe moneantur ab illo qui inuitauit ut quæ conuiuij sunt prosequentes gaudeant &c.

Et expectaretis &c.

Hæc est fiducia Christianorum ut expectent læti redēptorem quem alij formidant iudicē, sicut Christus dicit Lu. 12. His fieri incipientibus &c Ro 8. Vanitati &c.

Quem excitauit.

Hoc dicit, ne dubitemus & nos excitandos, neue dubitemus de potentia Christi regis nostri in cuius regno perire non possumus, qui excitatus accepit potestatem omnem in cœlo et in terra, constitutus ad dexteram patris supra omnem principatum & potestatem & uirtutem &c. Ephe. 1. Resurrectionem Christi Paulus nusquam

non

non inculcat, quia in ea uere regnum Christi agnoscimus, ubi triumphata morte nostra accepit gentes hæreditatem & poßeßionem suam terminos terræ & fecit utraq; unum &c.

Ira uentura.

Est ira dei æterna quæ est iam quidem super omnes incredulos, sed nondum reuelata est, iccirco uentura dicitur. Sicut enim sumus filij dei & nondum apparuit quid erimus. 1. Ioan. 3. Ita increduli sunt filij geennæ, quod tūc reuelabitur quando manifesta erunt abscondita tenebrarum. Ab ista ira nemo liberatur nisi per fidem in Christum, sicut dicit Ioannes Bap. Ioan. 3. Qui credit in filium habet uitam æternam, qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum.

CAPVT II.

HAbes hic formam ueri ministri Euangelici, imitatoris illius pastoris Christi qui se describit, Ioan. 10. Paulus ante malis afflictus non cessat prædicare, sed constanter agit in domino, cupiens & adhuc mori si ita res fert pro Euangelio, sicut infra dicit, Cupiebamus uobis impertire &c. Multi hodie uolunt uideri se uocatos ad docendum & ad prædicandum, sed tentatio probabit ueritatem. Mercenarius fugit, pastor manet ponēs animam suam pro ouibus suis. Vera uocatio non sinit hominem aliud agere quàm quod dignum est Euangelio, &

præterea

præterea constantem facit in omnibus aduersis, quæ propter Euangelium suscitantur. Scit sic uocatum se esse Dei ministrum, & Dei agere negociũ, quapropter quicquid ei accidit, non est ei curæ, tantum agit, quod commissum est, ut fidelis minister inueniatur. Omnia enim committit deo, qui eum misit, sciens hoc quod Christus dicit: Qui uos recipit, me recipit. Vos, inquam, quos ego mitto. Et qui uos audit, me audit. Vos scilicet prædicantes, quæ ego mandaui &c.

Ante &c.

Apud Phil. expulso à fœmina spiritu pythonico, Act. 16.

Siquidem &c.

Hoc dicit contra pseudapostolos, qui sua quærunt in deceptione auditorum, ut eos sibi faciant obnoxios, ad qđ nonnunquam utuntur malis artibus per signa mendacia, quibus hactenus conspurcati sunt omnes libri & prædicationes, quemadmodum futurum sub filio perditionis prædixit Paulus. 2. Thess. 2. quas artes uocat, hic immundiciam. Hypocrisim uero dolum uocat. Non egi, inquit, aliter cum meis socijs, quàm sicut Deus nobis commisit, qui ad hoc munus apostolicum nos dignos fecit. Et ad hoc cum magna fiducia sæpe appellat conscientias auditorum, ut & suprà diximus.

Meministis &c.

Prædicatori aut doctori debetur uictus ab auditoribus, secundum Euangelium, Dignus est operarius &c. Et. 1. Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri &c. Verum

Paulus, ne occasionem daret pseudapostolis sua quærendi, etiam suo iure sæpe cedens labore manuum uictitabat, Deo dignus episcopus, & longe alius quàm nunc sunt Episcopi, qui se gloriantur apostolorũ successores. Hunc locum ut intelligas, lege totum caput. 9. epi. 1. ad Cor.

Regnum &c.

De regno Dei diximus in epi. Col.

Gloriam.

Roma. 3. Omnes peccauerunt &c.

Indesinenter &c

Certum est, non de uerbis oris intelligi, sed de affectu cordis, sicut cap. 1. dixit: Semper &c. Sic & de oratione dixit Christus Lu. 18. Oportet semper orare & non deficere. Id quod non dictum est de murmure illo oris, ut intelligunt qui interpretantur, Semper, id est, horis conuenientibus, sed de desiderio cordis, quod intelligit Deus. Quando enim aliquid desideras à Deo, aut quando cupis à malis liberari, quibus premeris, certum est, qđ tam diu desideras, & subinde etiam uel uerbis uel suspirijs oras, donec accipias uel libereris. In talibus ualet oratio. Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus &c.

Quo Deum &c.

Aduerte hic circulum. Quòd credimus, ex Deo est, qui hoc ipsum agit in nobis per potentiam suam, qua suscitauit &c. Ephe. 1. & hoc ipsum in Deum reuertitur. Nihil aliud credimus, quàm Deum & in Deum. Non enim humanis traditionibus & elementis mundi alligamus fidem

dem nostram, sed Deo per Deum, sine quo credere non possumus. Id quod hic sic dicit Paulus: Accepistis quidē à nobis sermonem, sed nos tantum uerbi fuimus ministri. Cæterum idem sermo non noster, sed Dei fuit, à quo disce batis intus, secundum illud: Erunt omnes θεοδίδακτοι, alioqui inanis fuisset sermo noster. Discebatis, inquam, à Deo, sed nihil aliud quàm ipsum Deum. Superstitiosi autem & seducti à pseudapostolis et pseudoprophetis, mul ta sciunt, multis implicantur, sed quia à Deo docti nō sūt, Deum nesciunt, fidere enim Deo non poßunt, qui fiduciā in alijs rebus habent.

Vos enim.

Credentes Iudæi multa patiebantur ab incredulis Iudæis, cæsi, incarcerati &c, quorum & bona pscribebantur & egestate laborabant, ut neceße fuerit, mitti ad uictum necessaria ex ecclesijs gentiū ad ecclesias, quæ erāt in Iudæa, sicut uides Ro. 15. 1. Cor. 16. &c. Cuius negotij in primis curator insignis erat Paulus, sicut dicit Gala. 2. Vt pauperum, inquit, memores eßemus, q etiam solicitus fui hoc ipsum facere. Eadem iam Thessa. à ciuibus suis passi erant, quæ Iudæi à Iudæis, id quod ad constantiam fidei eorum pertinet, sicut supra dictum.

Qui ut dominum.

Grauiter suos accusat Iudæos. Atque hic habes locum paucis indicatum, q impij Dei iudicio semper proficiunt in peius. Sicut enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita impijs omnia cedunt in malum,

donec ira Dei consummate ueniat super eos· Exemplo sit Pharoo, qui audit Exo·9· In hoc ipsum excitaui te &c. de quo legis Ro·9· Exemplo quoq; sint de quibus hic dicitur Iudæi, qui & audiunt à Christo Matthæi·23· Et uos imple te &c·

Gentibus.

Quia gentibus salutem nō missam aut mittendā stulte arbitrabātur contra suā ipsorum scripturam in Prophetis· Mysterium hoc de salute gentium tractat Ephe·2·

Cæterum

Affectum suum in eos declarat, ut habeas exemplum, q; sancti etiam se uidere secundum carnem gestiunt·

Satanas.

Qui tamen non potest, nisi permissus, ut est in Iob· Impedit enim uerbum Dei, ut & ipse expleat peccata sua semper, sicut & alij impij· Impedit autem, Deo abutente bene eius ministerio malo, ne margaritæ proijciantur ante porcos, ne impij audientes, salui fiant, sicut habes Mat· 13· ex Esa·6· Hæc sunt iudicia Dei·

Nam quę.

Caussam addit, quare tantopere eos desideret, quòd ipsi sint materia gloriationis eius in conspectu Dei, in extremo etiam iudicio, quòd ei tunc licebit dicere: Domine ecce quinq; talenta &c· & audire: Euge &c·

CAPVT III.

QVanta ſolicitudine Paulus pro eccleſijs æſtuauerit, hæc aperiunt. Nam cum Satana impediente, uenire non poſſet, miſit Timotheum, non ſolum, ut cognoſceret res eorum, uerum etiam & multo magis ut uerbo ipſius Timothei confirmati, non turbarentur de Pauli afflictionibus, utq; ſi forte illic quidam à pſeudapoſtolis nuncijs Satanæ tentati fuiſſent, & abducti à uia gratiæ, ad confidentiam operum, reducerentur. Tantum tum quoque timebatur ille lapſus, ut non mireris interim iſta mala creuiſſe, quibus Chriſti gratia penitus obliterata eſt.

De fide noſtra.

Ne quis nos iam malis afflictos putet aliter ſentire, quàm ante, ſicut qui ad tempus credunt &c. neue quis ſcandalizetur, quòd ignominiam mundi ſuſtinemus, qui gloriam Dei prædicamus, quandoquidem, quòd iſta patimur, confirmatio noſtri eſt Euãgelij, tantũ abeſt, ut quẽ talia deterreant. Sic Ephe. 3. Peto ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ eſt gloria ueſtra. Hic uero habes locum, ꝙ Chriſtianorum uita, in primis prædicatorum ſit crux. Noſtis, inquit, nos in hunc uſum poſitos eſſe &c. Matthæi. 16. Si quis uult uenire poſt me, &c. Ioan. 15. Non eſt ſeruus maior domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & uos perſequentur:

Quapropter.

Proſequitur, quod cœpit.

Ille qui tentat.

Id est, tentare solet, hoc est, Satan, is tentat non solum ad impuritatem carnis, qua fidem labascere faciat, de qua uides cap· sequenti, uerum etiam multo amplius, quod diximus per falsos prædicatores, qui non sustinentes, ut fiducia tota in solum Deum per solum Christũ feramur, abducunt nos in fiduciam operum, & dum semper nouas traditiones & culturas, siue ut est in Colo· religiones angelorum & merita sanctitatis, siue, ut uocant, deuota exercitia inueniũt: doctrinarum non est numerus· Item merito fieri debet illis, qui unica uia & ueritate, quæ Christus est derelicta, ad deuia deflectunt, nunquam certi in conscientijs, quo uadant: quod enim nunc sanctissimũ iudicãt, post paululum præ specie alterius sanctitatis contemnunt· Id quod optime norunt, qui ante superstitiosi ad Christum uere conuertuntur· Hi enim tunc omnia pro stercoribus ducunt, quibus antea sancti & celebres uidebantur, ut Christum solum lucrifaciant, cuius ignominiam omni specie sanctitatis ducunt magis gloriosam, sicut Paul· de se scribit Philip· tertio, ubi etiam damnat iustitiam Legis, ne quid uereamur iustitias traditionum & adinuentionum humanarum· Aduerte uero diligenter, quod dicit: Ne inanis factus esset labor noster, quo significat totum Euangelium nihil prodesse illis, qui abducuntur à Satana in aliam uiam· Est autem Euangelium, te solo Christo saluandum esse, in quo habes omnia, sine quo habes nihil, sicut plenius uides Coloss·1·& ·2· Et ne dubites de ista seductione dictum, uide quidnam dicat Gal.5· Qui, inquit,

inquit, in lege iustificamini, à gratia excidistis. Lapsus enim carnis sæpe, curante Deo, occasio est maioris fidei, quia hic facile errorem deprehendimus, ubi uero in aliud Euangelium, id est, fictum, sicut ait Gal. 1. abducimur, hic proprie Satanas regnat, quia fides uera, id est, salus tota periit, & spes non est redeundi, quia non uidetur error. Angelus enim Satanæ se in angelum lucis transfigurauit, & dæmonium quod meridianum uidetur, agnosci non potest. Operum prædicatores multa docent, ne cadamus in carnis uitia, cum potius hic uigilare deberent, ut fons infidelitatis obstrueretur, unde ista uitia pullulant, sicut dicitur Ro. 1. Non probauerunt deum habere in notitia, idcirco tradidit eos Deus in reprobam mentem. Hoc est quod Ephe. 6. dicitur: Non est nobis colluctatio &c.

Fidem ac dilectionem uestram.

Summa Christianismi.

Viuimus.

Id est, gaudemus & satis bene ualemus &c. quandoquidem nihil iam aliud nobis tā curæ est, quàm ut uos stetis in fide, afflictiones meas nihil moror.

Dirigat.

Velit nolit Satanas, bonæ & piæ nostræ intentiones, ut uocant, nihil sunt, sicut nec Pauli aliquid fuerunt. Orādus autem est Dominus, ut dirigat omnia nostra, ne lumē quod in nobis est, tenebræ sint, & hoc orandus, ut fiat uoluntas eius &c.

Coram Deo.

Non uult hypocrisim, sed Dei iustitiam esse in nobis, quae etiam pro iustitia tunc acceptetur, quando uenerit ad iudicium Christus cum omnibus sanctis &c.

CAPVT IIII.

ADmonet eos de omnibus, quae docuerat, ut sic ambulent, quo abundent magis, id est, crescant ex fide in fidem. In primis admonet, ut sancti simus etiam corpore, atque id esse uoluntatem Dei, sicut & Ro. 12. dicitur: Obsecro &c. Libidinis enim mala horrendae saepe damnauit Deus, ut in diluuio, in perditione Sodomorum, in uindicato scelere Beniamitarum, Iudicum. 19. &c. Gentium quae deum ignorant, sunt istae abominationes, sicut uides Ro. 1. Christiani autem uas suum, id est, corpus suum posident cum sanctificatione, non cum affectu concupiscentiae, tantum ut quisque metiatur uires suas, ne incidat in turpitudines gentium, & consulat sibi matrimonio, sicut Paulus docet. 1. Cor. 7. & Heb. 13. Honorabile, inquit, connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Neque hic sanctificatio cadet, modo cogites te secundum Deum uxorem habere, non meretricem. Est enim creatura Dei bona, qua uti licet secundum Dei creationem & institutionem, ut uides in Paulo, qui ut et & aliâs, ita maxime damnat carnis immunditiam, prima Corinth. sexto. Non enim, ut hic ait: Deus uocauit nos immunditiae causa, sed ad sanctificationem.

tionem. Hoc non est pro immundis illis porcis, qui audientes libertatem spiritus, quam soli norunt spirituales, ad libertatem carnis uersi, putant sibi licere quiduis, contra Petrum. 1. Petri secundo: Quasi, inquit, liberi, & non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Et contra Paulum, qui dicit: In libertatem uocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis. Qua uero autoritate hæc præcipiat, licet quod ad se attinet, Euangelistarum more obsecrare, tãtum uidetur, subdit: Proinde, qui reijcit hæc, non hominem reijcit, sed Deum, nam dixi uoluntatem Dei esse sanctificationem uestram, qui dedit spiritum suum sanctum in uos, ut non contaminetis uasa, in quibus talis hospes omnis munditiæ autor inhabitat. 1. Cor. 3. & 6.

Ne quis opprimat &c.

πρᾶγμα, quodcunq; negocium, rem uel causam significat, id quod in primis hic refero ad id, ne quis fraudẽ faciat coniugio alterius. Hoc enim contextus uidetur requirere, deinde ad omnia alia negocia, ne facias fratri, qđ tibi non uis fieri. Si non uis abstinere amore fratris, id qđ in Christianis spiritus fidei postulat, abstine uel metu iudicij Dei, quia Deus talia ulciscetur.

Cæterum &c

Hic uides, quod in principio epistolæ dixit: Propter opus fidei, ac laborem charitatis. Vnde sicut cap. 1. dixit, nõ opus esse, ut scribat eis de fide, sic hic dicit, nõ opus esse, ut scribat eis de charitate, quæ fidei fructus est. Cau-

ſam addit, quòd docti ſint à Deo, ut ſuprà dictum. Tantum obſecrat, ut abundent magis, id eſt, creſcant in fide, & charitate, quæ nunquam perfecta ſunt in hac uita, habent enim ſemper, in quo creſcant per Dominum IESVM.

Et in hoc incumbatis.

Quaſi omnibus ſcribens, notat quoſdam inter eos eſſe, ſicut hodie ferè ubique ſunt, qui quaſi religioſi & Dei cultores, otium ſequuntur, uolentes aliorum bonis nutriri, quaſi hoc eis pro Dei, quod fingunt, ſeruitio debeatur, cum nulli debeatur uictus ex aliorum labore, niſi doctoribus, id eſt, uerbi Dei miniſtris, ſicut ſuprà dictum. Verũ iſta apertius dicit Paul. in ſequenti epi. ca. 3. Tales per hoc erant ſcandalo etiam gentibus incredulis, iubet ergo, ut quieti labore manuum uiuant, ut non ſint indigentes, & prætextu paupertatis et religionis ex aliorum opibus uiuere quærant.

Cæterum nolo uos ignorare.

Lugere non uult eos de ijs, qui mortui ſunt in Chriſto, id quod fortè faciebãt, alioqui talia non ſcriberet. Ridendum enim erat incredulis, ꝙ mortuos plorarent, qui reſurrectionem prædicabant, & præterea non ſatis Chriſtianum hoc uidebatur, qui enim ſic lugebant, de ſpe reſurrectionis dubitare uidebantur, quos confirmans, dicit: Sicut Chriſtus mortuus eſt, et reſurrexit, ita nos, qui in Chriſto morimur, reſurgemus. Hac quoque ratione utitur. 1. Cor. 15. Si inquit, Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mor-

à mortuis &c. Vbi lege plura de resurrectione. Vnde Philip. 3. E cælis saluatorem expectamus &c.

Hoc enim &c.

Mysterium aperit prophetans in uerbo domini, sicut prophetæ solent subinde, dicentes: Hæc dicit dominus. Est autem mysterium hoc quod forte Theßalonicenses scire uolebant, quod ueniente Christo ad iudiciũ uiui adhuc homines uita animali, sicut nunc sunt, reperientur, id quod etiam habet Euangeliũ. Sicut, inquit, in diebus Noë &c. Atq; hic euanescit illa quindecim signorum fabula in qua docēt omnes homines ante diem iudicij mortuos, ut nō dicam quàm ridicule in tali fabula abutantur quibusdam scripturæ locis. Cur enim nō uidēt quod in symbolo Apostolorum confitentur: Christum iudicaturum uiuos & mortuos? ubi non oportet interpretari iustos & iniustos, quia uulgo hoc symbolum traditum simpliciter & nulla allegoria est intelligendum. Præterea & hoc reuelat siue prædicit, quod uiui nō præueniēt mortuos, sed qui mortui sunt primum resuscitantur, & sic simul & uiui & qui mortui erant, hoc est, omnes qui Christi sunt rapientur Christo obuiam in aëra. De resurrectione enĩ solum iustorum hic loquitur Paulus, sicut & 1. Corin. 15. ubi quoq; mysteriũ aperit quod qui uiui reperiētur (quia animalis uita æternitatem poßidere non potest) in illo raptu subito immutabuntur, & fiet corpus spirituale qd' erat animale. Ecce, inquit, mysterium uobis dico &c. ubi ueterem translationem non esse ueram, non solum arguit

arguit quod contraria est ijs quae hic dicuntur, sed etiam ipse ordo & mala atque inepta uerborum cohaerentia & inepta sententia. Quid enim est, Non omnes immutabimur in &c.

Quoniam ipse dominus.

Sic in scripturis describitur aduentus domini quasi in praelium descendat rex aliquis, ad debellandum rebelles & exaltandum obedientes. Vnde hic archangelum nominat quasi ducem exercitus, & hortatum & tubam, & Matth 24. signum siue uexillum filij hominis in caelo, exercitum multum & maiestatem. Hunc uero hortatum & uocem archangeli & tubam dei intelligo uocem filij dei, cuius uerbo & potentia mortui resurgent & conformabuntur corpora nostra nunc uilia corpori claritatis suae, sicut dicitur Philip. 3. Sic enim ipse ait Ioan. 5. Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem filij dei &c.

CAPVT V.

Diem domini ubiq; scriptura dicit inopinate uenturum, quem incertum uoluit esse ut semper essemus parati in occursum eius, Lucae. 12. sicut incertus est dies obitus nostri in quo uenit dominus ad singulos, sicut tunc ad omnes uenturus est, & sicut in obitu inuenimur ita seruamur usq; ad diem illum, sicut audisti supra, qui dormierunt per IESVM adducendos cum

IESV per deum. Et cum supra nihil dixerit de resurrectione impiorum, hic dicit repentinum eis superuenturum interitum & dolorem non interiturum, sicut & Prouer. 1. dicitur. Venient autem talia super eos dum maxime securi sunt, sicut dominus dicit: Sicut in diebus Noë &c. Sicut & diuiti auaro contigit cui dictum est: Stulte hac nocte &c. Et hæc contingent eis, quia tenebrarum filij & noctis lucem ignorant Christi, & iccirco dormiunt non expectantes præ mentis ebrietate & corporis crapula dominum, sicut uides Lucæ. 12. de malo seruo & Matth. 24. Christiani uero uigilant et sobrie uiuunt, quia diei & lucis sunt filij, qui audiunt Rom. 13. Hora est iam nos de &c. Dormire hic uocat negligere et ignorare dominum, sicut & in parabola Euangelica, id quod sequitur ex inebriatione, quam intelligere licet curas & solicitudines, diuitias, & uoluptates huius uitæ, ut uides Lucæ. 8. nisi quod etiam crapula & ebrietas quæ iam ultra modum præualuerunt, per se faciunt ut illa dies non præuideatur, sicut docet Christus, Lucæ. 21. Attendite uobis ne forte grauentur &c. Contraria uero horum uocat uigilare & sobrios esse &c.

Induti thoracem &c.

De his armis iustitiæ Ephe. 6. Tribus armis nos hic instruit contra regnum tenebrarum, fide, spe, charitate. Fidem & charitatem in pectore collocat, quia nisi illic sint, non sunt quod appellantur, spem uero in capite, quia

quia à deo superius expectat quod corde credimus &c. Sic uero armatos tutos & securos eße oportere ostendit, dicens. Quoniam nõ constituit &c. Constitutionem dei necesse est non perire, speremus ergo per Christũ salutem, quia deus sic constituit absq; nostris meritis, & ut nihil dubitaremus aut de satisfactione soliciti essemus Christus mortuus est pro nobis et mortem nostrã occidit, ut in ipso & cum ipso uiuamus, nostra uita abnegata.

Siue uigilemus, siue dormiamus.

Id est, semper utcunq; acciderit nobis siue per uitam siue per mortem. Aliter enim hic uigilare et dormire ponitur quã suprà, id quod per se notum est, ut maxime nõ dicerem. Christianorũ uita siue dormiant siue uigilent siue edant siue bibant &c. semper Christi uita est dum omnia in gloriam dei faciunt. 1. Corin. 10.

Quapropter.

Quædam specialius post generalẽ admonitionem docet. Primum, ut se mutuo ædificent. Ephe. 4. Omnis sermo spurcus &c. Secundo, ut præpositos uenerentur per charitatem, id est, ut præter uenerationem etiam necessaria eis ministrent, & pacem habeant cum eis, ut sicut Heb. 13. dicitur, cum gaudio pro animabus eorum uigilent & non gementes. Sunt autem præpositi (ne quis ex nomine tumeat) qui, ut Paulus dicit, laborant inter eos, qui præsunt, sed in domino, qui admonent eos, id est, ut alibi dicit, qui laborant in uerbo, qui duplici honore digni sunt, nõ propter titulum, sed, ut inquit, propter opus illorum.

rum. Tertio, quam uelit mutuam ædificationem subiungit. Obsecramus autem &c.

Inordinatos.

De quibus in epist. 2. ut suprà dictum.

Pusillanimes.

Qui in multis adhuc trepidant, timentes ne quid defuturum sit corpori, uel ne non satis magno animo persti turi sint in aduersis pro Euangelio.

Infirmos. Fide.

Videte.

Hoc scilicet est, cum ui repellere licet.

Omnes.

Etiam incredulos, etiam inimicos.

Semper gaudete.

De hoc dixi, Philip. 4.

Indesinenter orate.

De hoc suprà dictum.

Hæc enim.

Concludit talia placere deo per Christum, ne putemus reijcienda uelut humanas admonitiones suprà. Hæc enim est uoluntas dei sanctificatio uestra.

Spiritum ne extinguatis.

Spiritum uocat dona spiritus, per quem alij datur sermo sapientiæ, alij scientiæ, alij gratia linguarum &c. 1. Cor. 12. Qui talia dona habet utatur, sed, ut illic dicitur, ad utilitatem ecclesiæ. Alij uero non prohibeant talia, sed sinant quenque ferri suo spiritu modo Christiano,

sinant

ſinant quenque ſuam ſequi uocationem· Sic & ·1· Corin· 14· loqui linguis nolite prohibere· Addit uero Prophetias ne aſpernemini, id eſt, interpretationes diuinæ ſcripturæ & declarationes fidei, ſicut ibidem dicit Paulus: Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & conſolationem, quod donum ſpiritusſancti inter alia mauult Paulus ibidem, dicens: Sectemini charitatem, æmulemini ſpiritualia, magis tamē ut prophetetis &c· Ne uero ſine iudicio quodcunq; ſuſcipiamus, addit: Omnia probate &c· Et Chriſtus: Attendite à falſis prophetis· Item: Attendite à fermento &c· 1· Ioan· 4· Nolite omni ſpiritui &c· Multi enim confitentes Chriſtū, negāt Chriſti uirtutem, hoc ſcilicet eſt Chriſtū non eſſe Chriſtum, hi ſunt Antichriſti de quibus ·1· Ioan· 2·

Ab omni ſpecie.

Non ſolum à malo ſed etiā ab omni ſpecie mala abſtinendum docet· Hoc eſt contra ſcandalizatores illos qui nulla ratione paruulorum, id eſt, illorum qui adhuc non ſatis inſtructi ſunt fide, ducuntur, contra quos ſcibit Paulus, Rom· 14· 1· Corin· 8· Et Chriſtus docet ſatis horrende Matth· 18· & aliâs· Verum hic memineris aliud eſſe ſcandalum paruulorum, aliud phariſæorum, de iſto dicit Chriſtus Matth· 15· Sinite illos &c· ut qui ſcandalizantur in uerbo Euangelij, ut qui ſcandalizantur in re quam citra periculum ſalutis uitare non poſſunt &c·

Ipſe autem.

Deum pacis appellat, ſine quo ſunt perturbata oīa· Nemo enim

mo enim pacem conſcientiæ conſequitur, niſi qui credit, à Deo ſibi per Chriſtum peccata dimiſſa. Verum hanc fidem ſolus Deus dat, tua ſtudia hic nihil ſunt, tantum accipe quod tibi offertur, offerre nihil potes. Eſt ergo Deus pacis, ſicut in Pſalm. dicitur: Deus iuſtitiæ &c. Hic, inquit, ſanctificet uos. Huius muneris eſt, ut ſancti ſitis, non ueſtri conatus, tantum orate &c. Petite, inquit Chriſtus, & accipietis &c.

Et integer.

Id eſt, abſq; corruptione. In Græco ὁλόκληρον, id eſt, totam hæreditatem poſsidens, hoc eſt, ut nihil uobis deſit. Exponit enim quod dixit: Vos totos. Scriptura hominem in tres diuidit partes, quarum ſumma & nobiliſsima eſt ſpiritus, quo comprehendit incomprehenſibilia per naturam, ſi Deus illic illuminauerit: aliud enim illic lumen non eſt, ſine quo in meris eſt tenebris & ignorantia. Sunt autem hæc incomprehenſibilia, quæ inuiſibilia & æterna ſunt. Atq; hic eſt domicilium fidei, & habitaculum uerbi Dei. Altera eſt anima, per naturam quidem non ſeparata à ſpiritu, ſed per opus, quod eſt animare corpus & uegetare: hinc & nomen habet. Hic lumen eſt ratio, quæ non poteſt non errare, ubi ſpiritus fide non eſt illuminatus. Eſt enim ſapientia humana &, ut uocat Paulus, animalis homo, qui non percipit ea quæ ſunt Dei. Tertia eſt corpus, cum ſuis membris, de cuius ſanctificatione ſuprà quoq; dictum. Integro autem ſpiritu, id eſt, ubi plena fides eſt, facile & anima, id eſt, uita tota et corpus integra erunt. Spiritu

uero dißentiente à Deo, et aliam iustitiam quærente (sicut in Psal. de incredulo populo dicitur: Non est creditus cum Deo spiritus eius) nihil non dißidet secum in homine, & pax conscientiæ inueniri uere in nulla re potest. Vides igitur, quare Paulus totius hominis sanctificationem, ab eo qui Deus pacis est, fieri postulet: totius, inquam, hominis, ut in nullo poßit culpari, non dico, coram hominibus, sed ne in aduentu quidem Christi.

Fidelis.

Magnæ consolationis uerbum afflictis conscientijs, & adhuc trepidis. Non potest non seruare fidem Deus quam promisit, qui uocauit nos, id est, aperuit nobis suum Euangelium, hoc est, cœpit nostram salutem, & idem efficiet, id est, complebit quod cœpit, sicut tu non potuisti incipere salutem tuam, sed aßumptus es, quando adhuc eras impius, ut dicitur Rom. 5. Sic nec perficere poteris, alioqui iamdudum rursum perijßet tua salus, si eßet in manu tua, & non in omnipotenti manu Dei patris nostri per Christum. Hæc sic dicuntur Philipp. 1. Is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem IESV Christi. Et cap. 2. Nam Deus est is qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis, pro bona sua uoluntate. Hæc omnia, qui ad Euangelij cognitionem uocati sumus, & didicimus uere Christum, sperare certò ex Deo debemus, quia fidelis est, sicut & priori Corinth. decimo dicitur: Fidelis Deus est, qui non patietur &c.

FINIS.

In Epistolam

IN EPISTOLAM SECVNDAM D. PAVLI ad Thessalonicenses, Ioannis Pomerani annotationes.

Vrsum collaudat in fide constantes, & charitate abundantes, quòd nullis aduersis ab isto proposito deijci potuerint, sicut & in prima Epistola uidimus. Est enim fidei probatio, si perstes in tentationibus. Loci uero in hac Epistola insigniores sunt. Primus, capite primo, quòd in persecutione Christianorum declaratur iustum Dei iudicium, quòd hi digni habeantur regno, illi uero persecutores, supplicio. Vtrunque iudicium norunt etiam nunc Christiani per fidem, sed reuelabitur in aduentu Christi. Secundus, capite secundo, de regno Antichristi non futuro, sed reuelando, ubi mysterium iniquitatis, quod etiam Paulo ista scribente operabatur, detegi cœperit, quando interficietur ille impius, in conscientijs hominum, spiritu oris Christi, id est, Euangelio sancto Non tamen penitus peribit apud omnes, donec destruat illum Dominus claritate aduentus sui. Hic uero interseritur & alius locus memoratu dignissimus, quòd scilicet oportet eos seduci signis mendacibus, & efficaciter decipi, errare, & labi, id est, credere mendacio, qui dilectionem ueritatis non receperunt, ut sal

 ui fierent,

ui fierent, quod iudicium tanto magis horrendum est, quanto minus uidetur. Quartus locus, capite tertio, est excommunicatio illorum, qui prætextu religionis, aliorum labore uictitare quærunt.

Paulus &c.

Omnia, ut suprà.

Augescit.

Fides sola cum Deo agit, & cum Deo nos coniungit. Opera uero fidei, id est, charitas, proximo seruiunt gratis, nulla meriti habita ratione, sicut Christus seruiuit nobis. Augescit uero, dicit, & exuberat, quòd hæc semper crescant, prouehente nos spiritu, ut nemo poßit gloriari, se iam aßecutum, ut dictum in Epistola ad Philippenses.

Gloriemur.

Profectus ouium, gloria est pastoris. Cur ergo hoc agit Paulus, qui alibi dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur? Respondeo, nunquam gloriari Paulum, nisi in Domino: Hic autem duplici ratione in Domino gloriatur: primum collaudans Dei misericordiam et spiritus sancti efficaciam, in ijs qui susceperunt uerbum: deinde, hoc ipsum faciens coram alijs Ecclesijs, ut pio exemplo et ipsæ cupiant se à Deo puehi, quo adhuc latius Dei gloria, et sanctificatio nominis eius ppagetur. Quomodo enĩ in his Paulũ non dei quærere gloriam sentire poteris, q̃ de his ipsum Deo semper & indesinenter gratias agere uides? &c.

Documentum &c.

Id est: Vnde appareat, & notum fiat, siue iustificetur

iustum

iustum Dei iudicium, quo uos dignos habeat suo regno, & persecutores damnatione · Regnum Dei nunc intra nos est, sicut Christus dicit in Luca, quod quia satis nondum apprehendimus, atq; adeo apprehendere non possumus satis in hac uita, oramus semper: Adueniat regnum tuum, de quo diximus in Epistola Colossens· Verum nondum uidetur, uidebitur autem, quando, ut hic dicitur, uenerit Christus, ut glorificetur nō solū in seipso, sed et in omnib· membris suis· i· sanctis siue credentib· omnib· qui pertinēt ad regnū eius: hæc quoq;, sicut sæpe diximus, uides Rom· 8· & ·1· Ioā· 3· Ita quoq; iudiciū dei iam damnauit impios, qui frustra Dei nitūtur opprimere ueritatē, & eos qui nō credunt Euangelio, sicut ipse dicit Ioan· 3· Qui nō credit, iā iudicatus est, quia &c· Sed hoc iudiciū nunc nō uidetur: uidebitur aūt, quando reuelabitur qui nunc non creditur ab impijs uenturus, dominus IESVS de cælo, cum angelis potentiæ suæ, cum uirtute multa siue exercitu multo & maiestate, ut Matth· 24· cum incendio flammæ, quæ incensura est inimicos eius in circuitu, ut dicitur Psal· 96· & ·49·

Vt digni.

Nota, quòd digni sunt regno Dei, qui pro eo patiuntur, non quòd hinc meritum cogites, quod scriptura non sustinet nec fides nouit, sed quòd hoc quod pateris, Deus pro digna re acceptet, quam ipse & uult & potest remunerare· Sic enim dicit: Vt digni habeamini regno Dei· Habeamini, scilicet à Deo· Sed ais: Tamen hic dicitur, quòd Deus reddet alijs pœnam & interitum non interiturum,

 alijs relaxa-

alijs relaxationem . i . liberationem ab omnibus malis, & præterea gloriam æternam. Respondeo: Vbicunq; hoc tibi uidetur in scripturis, diligenter intuêre, quid scriptura uelit. Fidem cõmendat & infidelitatem damnat Deus, uerũ nos ista uidere non possumus, nisi ex fructibus. Cum ergo scriptura propter nos scripta sit, non potest nobis fidẽ aliorum uel infidelitatẽ ostendere, nisi ex operib. sicut ait saluator: Ex fructib. eorum cognoscetis eos. Scribit igitur nõ raro Deũ redditurum unicuiq; iuxta opera sua. Certe opera absq; hypocrisi bona ex fide ueniunt, alia ex infidelitate. Illa ergo à deo præmium uitæ accipient, hæc mercedem mortis. Illa dedit Deus fidelibus, ne iterum merita cogites, ut dicitur Philipp. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed & pro illo patiamini. Dignos enim iudicat, pro sua bona erga illos uoluntate, quos illuminet. Hæc uero ab impijs abesse non poßunt, quos Deus indignos sua gratia iudicat, & in sua obstinatia & infidelitate dimittit. Sed quare illos suscipit, hos derelinquit? Respondet tibi Paulus Rom. sexto & undecimo: O homo, inquit, tu quis es qui respondeas Deo? &c.

Quòd fides.

Martinus: Quia nostro testimonio ad uos in hoc tempore credidistis. Alioqui non est apta sententia. Tunc admirandus fiet Christus in credentibus, quia nunc suscepistis à nobis eius uerbum, quod testificati sumus ad uos. Ad quod etiam oramus, ut istam uocationem, qua uocauit uos per Euangelium perficiat, cum potentia spiritus sui operantis

rantis in uobis, ad gloriam & nominis eius & uestram, per illum, secundum gratiam eius & Christi. Quibus uerbis uides, quàm omnia merita à nobis auferat. Vocatio est Dei, operatio, profectus est Dei, completio salutis nostræ est Dei, et omnia per Christum. Hæc alibi quoq; diximus, uel in Epistola Philippens.

CAPVT II.

QVia dixerat Paulus in Epistola superiore de subito & insperato Domini aduentu, & inter cætera sic: Nos qui uiuemus, qui reliqui erimus in aduentu &c. factum est, ut à multis tunc dies Domini crederetur uenturus, adbuc uiuentibus quibus scripserat, quos obtestatur per eundem aduentum, & per cõmunionem Christianam, qua cum Christo unum iam sumus, & qua Christo aggregabimur in illo die, ne hoc credant stulte persuasi, uel per spiritum, id est, aliquem quasi habentem reuelationem de hoc, uel per sermonem, uel Epistolam quasi Pauli, ne turbarentur cogitantes, si iam uenturus est DOMINVS, quomodo implebuntur Scripturæ de uocatione omnium gentium? quomodo uera sunt, quæ Dominus in Euangelio prædixit futura ante diem iudicij, quæ Apostoli Dei prædixerunt? Et nescio quam aliam turbationem in eis Paulus timuerit, cum fidelium sit, eum diem expectare, nisi quorundam illic adhuc infirmitatem notauerit, quanquam satis aperte indicat aliquos deceptores illic

tali hominum opinione abusos fuisse, nescio ad quid· Alioqui suos non tantum adiuraret, ne hoc ipsum crederent. Dicit ergo: Non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius &c· Porrò hic obiter notandum, quòd sicut tunc turbabantur de subito Domini aduẽtu, ita uenturi sunt in nouissimis temporibus quæ nunc sunt, qui securi, ut fabulã cõtemnent, quæ de aduentu Domini à Prophetis & Apostolis, atq; adeo ab ipso CHRISTO prædicata sunt, contra quos scribit Petrus Epistola secunda, capite tertio.

Nisi uenerit defectio prius &c.

Qui nolunt hæc esse scripta contra regnũ Papæ, qd' hodie plus satis uidemus, accedant huc, & iudicent arborem ex fructu, id quod monet saluator, dicens: Ex fructibus eorum cognoscetis eos· Hoc regnum adeo hodie iniustum est, adeo iniusta quæ cũ Euangelio pugnant iamdudum approbauit & seruari statuit, pompam, uoluptates, diuitias mundi amplexatum, cruce Christi abiecta, ut etiam defensores eius in multis conscientia arguente iniustitiam utcũque uideant· Qui et hoc addunt, ut compleant sua peccata & mensuram iniquitatis, ut soli persequantur Euangeliũ et gratiam saluatoris nostri, quẽ dedit nobis Deus iustitiã, sanctificationem, redemptionẽ, satisfactionem·1 Cor·1·in quo, ut dicitur Colos·1·placuit Patri, ut omnis plenitudo inhabitaret, et per eum reconciliarentur omnia in ipsum, pacificatis per sanguinem crucis eius & cælestibus & terrenis· Et capite·2·in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus

principatus & potestatis, qui dicit: Sine me nihil potestis facere. Quid ergo nobis cum traditionibus humanis ad salutem? cum omnia habeamus in Christo, quibus omnia est Christus, quibus inutilis est Christus & à gratia excidimus si in lege quærimus iustificari, ut dicitur Gal. 5. Vides quod ne per legem quidem Dei est iustificatio, nam ad hoc data non erat lex ut iustificaret, ut dicitur Gal. 3. sed ut per eam cognosceretur peccatum & transgreßio uoluntatis Dei, ut dicitur Roma. 7. Ipsi tamen pro legibus à se excogitatis, & traditionibus humanis pugnant, & hoc impietati & infidelitati suæ addunt ut fiant homicidæ occisis confeßoribus Christi, id est, illis qui cõfitentur & docent nos ex sola fide iustificari, et per solam dei misericordiam absq; ullis meritis humanis saluari, et traditiones humanas saluti obeße, imò nullam eße salutem ubi traditionibus confidis, sic pronunciãte Christo Matt. 15. Sine caussa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et ne forte dicant: Nos talia mandamus ut homines Deum timeant. Respondet Deus Esaiæ. 29. Timuerunt me mandato hominum & doctrinis &c. Sic occidunt siue opere siue uoluntate, ut ueniat super eos omnis sanguis iustus qui effusus est à sanguine Abel iusti usq; ad sanguinem omnium martyrum usq; in præsentem diem pro ueritate Euãgelica occisorum. Hæc dicimus propter eos qui adhuc resipiscere poßunt, debemus enim eis & optare & precari salutem ut ipsos deus nobiscum illuminet qui & ipsi in multis adhuc offendimus. Obstinati ue

ro Dei iudicio sunt relinquendi, ut qui sordent, sordescãt adhuc. Illud consulimus omnibus, ne pugnent contra ea quæ non intelligunt, forte dabit quandoq; & ipsis deus intellectum. Sinant utraq; crescere, sicut uult Christus usque ad meßem, & tunc fiet separatio zizaniorum & tritici, non sint ante tempus iudices, donec Christus iudicet. Crede mihi, imò crede Euãgelio, triticum est semen Christi, id est, uerbum eius quod cum suis Apostolis prædicauit. Zizania autem sunt uerba & traditiones hominum, quæ inimicus homo, homo peccati & perditionis per doctrinas dæmoniorum dormiẽtibus hominibus, id est, fide (ut sæpe monet Christus) non uigilantibus, superseminauit, ut hæc uides Matth. 13. Nunquam efficies ut palea & zizania fiant triticum, quæ igni seruantur æterno. Desine ergo & disce probare spiritus num ex Deo sint. Probabis autẽ non ex traditionibus humanis aut antiqua consuetudine aut ex tuo sensu, sed ex uerbo Dei si huic consentiunt spiritus sunt boni, si dißentiunt sunt mali. Disce scripturis & ueritate agere, sicut Christus egit & Apostoli, non ferro & igni, id quod poßunt & latrones. Igitur si in aliquo inuenero fructus hic descriptos, num dabis mihi ut etiam arborem malam dicam, id est, hominem peccati, filium perditionis &c.

Primum, hoc quod obscurius dixit Paulus. Tantum qui tenet in præsentia teneat donec è medio tollatur, omnes exponunt de sublatione regni Romanorum, quod tunc imperabat mundo cũ magna potentia sub Nerone.

Erat

Erat enim quartum regnum & quarta bestia, de qua Dani. 7. Clarius ista dixerat Paulus Thessalonicensibus coram, quæ apertius tunc scribere non est ei uisum. Ergo sicut Christus uenit sublato prorsus Græcorũ regno quod erat tertium, ita ueniet Antichristus siue potius, ut hic dicitur, reuelabitur, sublato Romanorum imperio, quod deficere cœpit sub Heraclio imperatore quando recesserũt à Romanis, qui Saraceni & Turcæ appellantur, & defecerunt à fide per Antichristum Mahumetem qui se paracletum à Christo in Euangelio promissum asserebat, id quod stultus ille populus credere potuit. Necesse enim est ut credant mendacio qui dilectionem ueritatis non suscipiunt ut salui fiant, nimirum excæcãte eorum corda deo. Mahumetes gloriabatur se interpretem scripturarum et nihil debere aliter ex scripturis accipi quàm ipse interpretaretur, quandoquidem se ad hec à Deo missum. Sublato uero in totum Romanorum imperio prædicit Paulus non uenturum hominem peccati, sed reuelandum &c. Si hodie rem spectes illud Romanorum imperium quod tempori Pauli erat ablatum est, & omnes sumus sub imperio Papæ cui & subditi sunt omnes reges & Principes nostri, cuius mandata etiam trepidis conscientijs adorant, qui gloriatur se dominum esse totius orbis in loco Dei, omnésq; esse sub certa damnatione quotquot ei non obediunt, neminem esse seruum Dei nisi sit seruus Papæ, & pro defendendis diuitijs eius pro que confirmanda eius potestate & regno licere occidi

quotquot

quotquot resistunt & contradicunt, filios esse Dei & æterna uita dignos qui sic occidunt & tumultuantur pro illo regno, se potestatem habere super omnia quæ dei sunt, super omnia & sacra et prophana, omnem potesta tem spiritußancti à Christo in Euangelio credentibus li- beralitate Dei datam ad se primum pertinere ut princi- pem, & neminem ea uti poße nisi ipse per se aut suos per miserit, approbauerit, ratificauerit, se poße liberare quot animas uoluerit ex purgatorio, quo & hoc unum quod Christo hactenus reliquerant auferunt, nempe hoc quod ipse est constitutus à Deo, sicut Petrus dicit: iudex uiuorum & mortuorum. Hic uendit pro pecunia quoties uult preciosum et Christi et martyrū sanguinem, dum me rita Christi & martyrum se distribuere ex thezauro sibi commißo gloriatur, sed pro pecunia. Id quod tot Bullæ et literæ eius in Germania testantur. Hic approbat usuras contra legem Dei, rapinarum accipit partem pro indul- gentijs, prohibet matrimonia in tam numeroso clericorū suorum populo, unde tot horrenda secuta sunt peccata, ut mundus amplius uel ipse Deus ferre non possit. Popu- lum facit sine matrimonio et qui uiuat sine manuum labo re & sudore uultus sui. Egregium scilicet contra Deum inuentum, & contra Pauli excommunicationem quam legis. 2. Thessa. 3. Prohibet cibos quos creauit Deus fideli bus ad edendum cum gratiarum actione. Ordines & sectas confirmat, dignitates & scholas in sua decreta iu- rare facit, & omnia iuramentis replet ut sibi obnoxias

faciat

faciat hominum conscientias. Dies obseruari præcipit et menses & tempora, dum alijs diebus ieiunari, alijs feriari uult sub indignatione omnipotentis dei & beatorũ Petri & Pauli Apostolorum. Certe Paulus dicit se talibus frustra prædicaße Euangelium, Gal. 4. Sanctitatem ponit in uestibus, rasura, murmure oris, boatu, ornatu templorum, unctionibus illis &c. In talibus enim seruatis docet confidendum, & de neglectis pœnitendum. Si uero talia contemnas aut contemnenda doceas unus infernus ei non sufficit quò te detrudat. Et, ut semel dicam, ipse præcipit ea quæ deus nõ præcepit, contra Christum qui dixit Apostolis, Prædicate Euangelium. Item: Docentes omnes gentes seruare omnia quæcunq; ego mandaui uobis. contra Paulum qui dicit: Etiam si angelus &c. Et seruantibus dat pinguia beneficia, præbendas & dignitates, magisterij & doctoratus insignia, seraphicam sanctitatem & indulgentias copiosas & annum iubilæum cum remißione omnium peccatorum, & uitam æternam promittit. Non seruantes uero bonis priuat, omni honore exuit, è mundo, si fieri potest, expellit, occidit, æternæ maledictioni & damnationi adiudicat, etiam si omnia dei præcepta seruauerint. Et cum fides secundum Euangelium et doctrinam apostolicam sit solus dei cultus, qua soli deo fiditur, solus deus timetur, ut conscientia nulli maneat obstricta nisi soli deo, ut in conscientia nemo regnet nisi solus deus, Papa pro fide nobis traditiones humanas subrogauit, docens quod per illas salutem consequamur,

fides solus Dei cultus

ut talia

ut talia omittere timeamus sub pœna mortalis peccati, sub pœna excommunicationis, aut latæ aut ferendæ, sub pœna æternæ maledictionis. Per hæc habet ita conscientias obstrictas ut inuenias qui nihil aliud cõfiteantur quã die dominica non fuisse feriatos, nihil aut non tantum ueriti si dominica die ebriati & crapulæ ut alia taceam, studuerint, cum tamen hæc sint contra Euangelium, illud non sit. Item feria sexta non ieiunasse aut non abstinuisse à butyro. Hic inuenias scortatores, adulteros, publicos latrones &c. qui religiose obseruent ieiunia Ecclesiæ, ut uocant, nihil suam interim ueriti malam uitam qui etiam audeant hæreseos damnare contra facientes, quasi non sint separationes à Christo scortatio, adulterium, rapina, homicidium &c. Itaq; his nugis se Christianos uolunt miseri & decipientes & decepti. Item alius confitetur se neglectim legisse horas canonicas, neglexisse aliquot cruces in missa, sine manipulo celebrasse, in canone uerbis uacillasse, alicubi non attentum fuisse in uerbis sacratissimi illius canonis, qui nihil uerentur Euangelium Christi male legere & nihil eius intelligere, quibus dicit Paulus, ut taceant si non adsit interpres. Et interim quidam illorum sunt usurarij, scortatores &c. quæ confitentur quidem quandoq;, sed de emendando non cogitant. De alijs uero iam dictis nugis fatentur & ex corde fatentur sese emendaturos. Hæc cum uideamus adhuc, ne dubitabimus fidem illam in deum per Christum nobis esse ablatam? Vides ne traditiones & figmenta hominũ

timeri

timeri supra dei praeceptum? Nonne hic Papa regnat in conscientijs hominū supra deum? Nonne hic sedet in templo dei ut deus? Hic trepidant miserae conscientiae ubi nō est timor, & ubi timendum uere eßet nihil timent aut nō tantum timent. Quin & ipse Papa de uiolato dei praecepto non tanta cura tangitur quanta de suo, id quod ostendunt casus illi reseruati & bulla coenae, ut alia taceam. Nonne hoc est exaltari supra deum? Quod uero haec omnia faciat ut deus uel sub nomine dei ne ipse quidem negat, quod aūt sedet in templo dei, & ipse gloriatur. Putásne deo placiturum quod damnantur ea quae ipse non damnat, & magnificantur ea quorū alia ipse ignorat et contemnit, alia etiam damnat? Contra deum ergo talia sunt & contra Christum, ut nō dubites Antichristos esse qui talia defendunt. Nonne adhuc in speciem meliores possent iudicari pseudapostoli, cū quibus tantum certamen erat Apostolis Christi, q̄ hoc agebant ut in confidentiam operum legis Moisi diuinitus datae retraherent illos qui per gratiam domini nostri IESV Christi sola fide erant iustificati, cum Papistae suis legibus & somnijs humanis, de quibus non exiget Christus à nobis rationem in illo iudicij die, nos alligant & conscientias nostras, quasi deus, uinctas & obstrictas eße uolunt? Haec est ultima Satanae operatio. Finge nunc uenturum aliquem Antichristum qui corpora cremet igni, laedat ferro, trūdat in carceres &c. qui sibi adhaerentibus det magnas diuitias &c. quid quaeso amplius faciet quàm iam in

hoc Papiſtico regno uidimus? quid magis horrendum facere poterit contra hominum ſalutem, quàm ut abiecto dei timore, & in deum fiducia, faciat ut ſuas traditiones & excogitata ſomnia, timeant, & rurſum in eis obſeruatis fiduciam habeant & ſpem collocent ſalutis? Hoccine eſt auferre totum quod Chriſtus dominus nobis factus eſt? Hoccine eſt negare IESVM eſſe Chriſtum & IESVM eſſe filium dei, de quo 1. Ioan 2. Non negant quidem ſi nomina ſpectes, cæterum rem auferunt ei, iuſtificatorē eſſe non permittunt ſicut prophetæ Chriſtum depingūt, quia iuſtitiam operibus tribuunt, & dei eſſe uirtutem negant quem non ſatis eſſe ad ſalutem docent, ut alibi diximus. Sunt ergo Antichriſti, de quibus Ioannes dicit, Inter quos ſunt omnes illi hodie qui prohibent Euangeliū Chriſti, id eſt, Chriſti gratiam prædicari, ſcientes quod ſi illa ſola ut oportet prædicata fuerit omnia ipſorum ſomnia & excogitatæ leges à conſcientijs hominū cadent in perditionem tyrannidis ipſorum. Hæc interim ſatis de fructu unde arborem cognoſcamus omnino diuerſam ab illa, de qua ſcribitur Pſal. 1.

Aduerte rurſum quod prædictum eſt à Chriſto uenturos multos pſeudoprophetas & pſeudochriſtos ſiue antichriſtos, id eſt, Chriſti aduerſarios, quos Apoſtoli pſeudapoſtolos nominant, quod Apoſtoli Chriſti nō ſint, quanquam uideri uelint, ſicut qui hodie ſe Epiſcopos & Apoſtolorum ſucceſſores gloriantur, licet nihil in eis apoſtolicum uideatur, licet uerbum Chriſti quod mandatum eſt

Apoſtolis, ignorent, eo quod nihil in ſe ſpiritus Chriſti habeant, ſed ſua quærant & defendant etiam cum Euangelij Chriſti iniuria, & Chriſti cõfeſſorum oppreſſione. Et ne quis Chriſti prophetiã intelligat, ſolum de illis pſeudapoſtolis, qui iam tũ Apoſtolorũ tempore erant, id qd' ſtultũ eſſet, cum ſimiles & ijdem ſint, qui ſimili & eodẽ fructu reperiuntur, Chriſtus de utriſq; prædixit pſeudapoſtolis & Antichriſtis Mat. 24. et Mar. 13. de illis: Multi, inquit, pſeudoprophetæ ſurgent, & seducẽt multos. De noſtris uero, Tunc, inquit, ſi quis uobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducãtur, ſi fieri poteſt, etiam electi: Ecce prædixi uobis. Sic & fama erat tempore Apoſtolorum quod Antichriſtus quandoque uenturus eſſet, iccirco ſic ſcribit Ioã. 1. epi. cap. 2. Filioli nouiſſima hora eſt. Et ſicut audiſtis, quòd Antichriſtus uenit, nunc Antichriſti multi facti ſunt. Vnde ſcimus, quod nouiſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt &c. Itaque de multis Antichriſtis, ſiue pſeudoprophetis, ſiue pſeudochriſtis, ſiue pſeudapoſtolis ſæpe legimus. Paulus uero hic quod quandoque ſolet myſterium nobis aperit, futurum ſcilicet, ut omnium Antichriſtorum, pſeudochriſtorum, pſeudoprophetarũ, pſeudapoſtolorum tandem unum caput reueletur, ſub quo omnes omnium errores & ſeductiones contineantur, qui ſeduxerunt orbem, tamen ſub nomine Dei & Chriſti, transfigurãtes ſe, ut Paulus ſcribit, in angelos lucis ſatana

 magiſtro.

magistro. Quid est ergo, quod reuelandum hoc caput dicit, nisi quod ad aliquot tempora specie sanctitatis sese occultauerit, alioqui quomodo etiam hic ad errandum solicitarentur electi, sicut Christus dicit? Noli hic Iudaeum quempiam cogitare aut nomine gentilem. In templo Dei sedet, & signa operatur, sed mendacia. Et Ioannes dicit: Ex nobis prodierunt &c. Vides, quàm haec quasi digito regnũ Papae notent. In quo regno etiam si sancti quandoque praesederint & rectores fuerint, tamen sic oportuit etiam per electos seduci eos, qui ueritatem Euangelicam non susceperunt. Iudicium Dei est, noli contendere, praedixit Christus, praedixerunt Apostoli. Regnum autem Papae uoco ab eo tempore, quo ipse Papa sibi monarchiam asscripsit & traditiones suas Christi gratiae praetulit. Hic ἀποστασία 1. Timo. 4. ἀποστήσονται.

Regnum papae.

Defectionem.

Siue discessionem, quam dicat Paulus, satis notum est ex 1. Tim. 4. Discedent quidam à fide &c. ubi exprimendi rei gratia addidit duo insignia exempla, quibus indicauit qui sint illi desertores fidei, qui attendunt spiritibus erroris, siue spiritibus deceptoribus, non probantes per uerbum Dei spiritus, num ex Deo sint, sed suscipientes humana pro diuinis oraculis, ut neglecto Euangelio, alius dicat: Ego teneo cum Thoma: alius, Ego cum Scoto &c. Alius: Hoc opus, inquit, fecit ille sanctus, ergo hoc opere saluabor &c. Qui sequuntur doctrinas daemoniorum, dũ relicto uerbo Dei, traditionibus humanis fidunt, & fidere

docent

docent. Semper enim doctrina dæmoniorum est, ubi relicto Dei uerbo, alijs uerbis creditur, quæ cum Dei uerbis conuenire nō poßunt. Nō enim Deus in re salutis nostræ uult aliud, ut non dicam diuersum, quàm suum uerbū. Etiam si angelus è cœlis, ait Paulus &c. Hæc doctrina dæmoniorum cœpit in paradiso. Dominus dixerat: Morieris. Serpēs uero, Nequaq̄ moriemini. Sic & hodie Dominus & spiritus sanctus dicit ubiq; in scripturis, q̄ ex sola fide iustificamur et liberi sumus à peccatis. Spiritus uero erroris & doctrinæ dæmoniorum dicunt: Non est uerum, q̄ ex sola fide iustificamur, sed fac hoc & salutem consequeris, da tantum & habebis tot indulgentias: si ueneris ad illa loca, habebis remissionem omnium peccatorum. Si non sic ederis, si non sic uestitus fueris aut rasus, damnaberis &c. Dominus uult suo uerbo credi. Serpens dicit: Nequaquam uerum est. Porrò non manifesta dæmonia futura dicit Paulus, nisi quantū ex fructibus poßint deprehendere fideles, sed talia quæ se poßint transfigurare in angelos lucis, hoc est, dæmonia meridiana, sicut in psalmo uocātur, idest, sicut dicit, quæ loquentur in hypocrisi mendacium, sub specie magnæ sanctitatis docebūt, quæ Deus ignorat, quæ Deus non mandauit, & fictis abutentur miraculis et signis, ut hic dicitur, mendacibus, ut non dicā, q̄ etiam dæmonum credēt illusionibus contra dei præceptū. Deu. 13: ubi uides, q̄ Deus solet tentare nos signis mendacibus, utrū diligamus eum an non, in toto corde et tota anima nostra. Atq; hac hypocrisi seducent illos, qui Euangeliū ueri

tatis non suscipiunt, ut salui fiant: illos uero qui suscipiūt, iam amplius decipere non possunt, ipsis enim luce Euangelica detegitur persona dæmonij meridiani, & deprehenditur esse tenebrosum dæmonium, quod ut meridies uisus perstrinxerat humanos. Additur quoq;, q̃ cauterio notatam habebunt conscientiam, quam enim soli Deo debebant consecratam habere, iam accepto alieno signo ad traditiones humanas pauent, & ipsis seruatis sibi salutē promittunt, uerum hoc tandem efficient, ut in omnibus, quæ facient, incerti reddantur salutis, quippe q̃ conscientia per nihil quieta fieri uere, & perpetuo poßit, nisi per solam fidem in Deum per Christum &c. Vt uero tandē dicam, quod cœpi: Duobus, inquam, insignibus exemplis eos notauit Apostolus, ne poßent perpetuo latere. Prohibentium, inquit, nubere & abstinere à cibis, quos &c. Audiant hæc papistæ, & resipiscant, & ipsi nobiscum orēt communem patrem, ut tandem omni errore & infidelitate dignetur nos omnes explicare, ut solum eius uerbum in mentibus & conscientijs nostris glorificetur &c.

Et reuelatus fuerit &c.

Non dicit: Venerit, ut scias, eum ante reuelationem regnaße & perdidiße animas, sed non agnitum pro perditore animarum &c. Sic infrà dicit: Nam mysteriū nunc operatur iniquitatis. Videbat enim & tunc seductores & seductos, qui à fide gratiæ Dei ad opera Legis deficiebant, magna specie sanctitatis. Contra quos in omnibus ferè epistolis agit, de quibus Philippen. 3. ait. Cauete canes

nes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Et Act. 20. Scio, quòd intrabunt post discessionem meam lupi rapaces ad uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Itaque & tunc quoq; agebat abscondite hoc dæmonium meridianum in illis, qui dilectionem ueritatis non susceperunt, qui aliquid melius quàm Euangelium erigere uoluerunt, sed de reuelando hoc errore hic prædicit Paulus. Hic ergo uide, quàm insipienter dicant, qui errorem hunc, qui ex diametro pugnat cum gratia Christi, diuturnitate temporis defendere nituntur. Vide quoq;, quàm nihil interpretentur, qui dicunt, Mysterium iniquitatis hic significare persecutionem Neronis usq; ad Diocletianũ, & deinde sub Iuliano apostata, qui arte & astutia persecutus est Christianos &c. Nam hoc non erat mysterium iniquitatis, sed aperta iniquitas, de qua etiam tandem ipsi gentiles principes erubescebant.

Demonium meridianum

Homo peccati.

Qui nihil aliud facit suis traditionibus, quàm quod facit peccata in conscientijs hominum, ubi uere peccata non essent, si ueritatem Dei intelligerent: Fictis ergo peccatis, uere peccãt et uere dãnantur, quia sicut credũt, ita fit eis.

Filius perditionis.

Qui nihil facit, quàm quòd perdit animas, sicut Papa, & Papæ regnum, quod excommunicat, aggrauat, redaggrauat, interdicit &c. quæ si nihil prodesse uidet, inuocat brachium sæculare, ut perdat non solũ animas, sed et cor-

pora, nam de pecunia nostra perdita minus querimur: Quos uero ditat, magnificit, indulgentijs donat, canonizat &c. illos grauius adhuc coram Deo perdit &c. Siquidem & cò iam dementiæ peruenerunt, ut credant aut saltem credi uelint, q̃ possint quoq; homines mortuos uel excommunicare uel canonizare, ne relinquāt Deo aliquid iudicij uel de mortuis.

Qui est aduersarius.

Id est, ἀντίθεος siue ἀντίχριστος Lucæ. II. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecū, dispergit. Nam Paulus hic protinus se exponit, cuius aduersarius sit. Effertur, inquit, super omne quod dicitur Deus, aut religio siue Dei cultus. Sua enim præcepta supra Dei præcepta uult seruari. Suas traditiones ualere uult, & trepidis adorari conscientijs, quod Deus non uult. Euangeliū prædicari non permittit, id est, ueram Christi gratiā, qua cognita, impiæ traditiones & illa episcopalia spectra protinus à conscientijs, ut fumus euanescunt, & detecta persona, uidentur illi magni Dij, qui uerum Dei cultum, id est, fidem, qua sola Deus religiose adoratur in spiritu & ueritate, non carnali cultu & ficta falsaq;, id est, ab hominibus excogitata religione. Hunc, inquam, cultum nobis abstulerunt, & mera ludibria pro cultu Dei nobis erexerunt, in quo nō Deus, sed ipsi coluntur & ditātur. Quid enim aliud uolunt campanæ, organa, altaria, uestes, cantus, unctiones, rasura, beneficia, canonicatus &c. ut his omnibus nescias, quid agant, id quod ne ipsi quidem sciunt.

unt. Nam certi in suis conscientijs, q̃ talia Deo placeant, esse non poßunt, quia non habent Dei mandatum, q̃ talia facere debent, aut seltem uerbum Dei, quòd talia Deo placent. Quod uero facere deberent, scilicet, prædicare Euangelium, hoc ignorant, contemnunt, prohibent &c. Qui & hoc coguntur audire à DEO, Populus hic labijs &c.

In templo Dei.

Quid significet in Paulo, satis notum est ex. 1. Cor. 3. Nescitis, q̃ templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Si quis templum Dei uiolauerit mala doctrina (Euãgelio enim ædificatur) disperdet illum Deus. Templũ Dei sanctum est, quod estis uos. In templo Dei ergo sedet, qui in conscientijs regnare uult, ubi solius Dei locus est & solus Deus regnare debet. Lu. 12. Ostendam uobis, quem timeatis &c. 1. Corinth. 7. Precio empti estis, nolite serui fieri hominum. Quapropter uanum est, q̃ quidam putant Antichristum redædificaturum templũ Hierosolymis, & sessurum in eo, cum iam sciamus quid sit templũ Dei in Paulo, quasi uero Paulus templum Dei appellasset quod Antichristus ædificaturus erat? Sed nec corpora nostra debemus cõsecrare Papæ, Francisco, Dominico, etc. ut non solum non habeamus cauterio notatam consciẽtiam, sed & corpus sit absq; notis separantibus nos aliqua religionis specie à fratribus. In Christo enim nõ est Iudæus neq; Græcus &c. Gal. 3. An nescitis (inqt. 1. Cor. 6.) q̃ corpus uestrũ templũ est habitantis in uobis spiritussancti

quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris. Nam empti estis precio Glorificate iam Deum in corpore uestro & in spiritu uestro, quæ sunt Dei. An nescitis, quod corpora uestra menbra sunt Christi? Num igitur tollens mēbra Christi, faciam scorti mēbra? Si hoc de corporali fornicatione sentit, multo amplius uerū est de spirituali, qua qd' Dei est, idolis tuis tribuis, quis enim te nisi diabolus docuit, ut in iniuriam fratrum sectas facias, quasi reliquis tu sis melior aut sanctior? Terreat uel quod in psal. ad deum dicitur, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Zelotipus est Deus, sibi soli uult seruari fidem, adulteram nō sustinet, etiam si se stibio inungat, ut dicit Propheta.

Quid detineat.

Scilicet, ne adhuc ueniat dies Domini.

Quem Dominus conficiet.

Vt scias non nostrarum esse uirium, ut liberentur conscientiæ ab Antichristo, sed Christus hic inuocandus est, qui non est brachium sæculare, sed brachiū Domini, sicut Esa. uocat ca. 53. Stulte ergo agunt & sentiunt, qui huic pesti armis carnalibus mederi tentant. Ius tamen gladij in papistas qui uim inferunt, sic permittimus, ut hoc non dicatur defensio Euangelij, quod sic defendi se non permittit, sed dicatur defensio oppressorum. Christus inquit, Cōficiet aduersarium, qui Euangelij gratiam abstulit, & cōficiet spiritu oris sui, id est, uerbo spiritus, quod ex ore eius prodijt, quo & ipse per sese docet fideles in cordibus, hoc est, suo sancto Euangelio, sicut hodie, sed heu nimis tam

ineffa-

ineffabili gratiæ ingrati & uidemus & sentimus. Vbi enim iam rursum prædicatur merum & solum Euangelium Christi, qd' Christi ore nobis datum est & datur, illa humana figmenta & doctrinæ dæmoniorum, quæ in hypocrisi locuta sunt mendaciū, protinus euanescunt ut fumus, & sic occiditur Antichristus in conscientijs & cordibus fidelium, sicut & Esaias dixit cap. 11. de Christo: Et spiritu labiorū suorum interficiet impium. Et percutiet terram uirga oris sui. Euangelio igitur occiditur & perit eius regnum non gladio. Verum oportet impios multos esse, in quibus hoc uerbum spiritus nihil operabitur, nihil occidet, sed manebit Antichristica opinio usque ad iudicij Christi diem, quando claritate aduentus eius in totum abolebitur hæc Satanæ operatio.

In ijs qui pereunt.

Consolatio, q, suscipientibus Euangelium cum dilectione, id est, diligentibus Euangeliū, siue ueritatem Dei, nō solum foris audientibus ista potentia & efficax error & signa mendacia non nocebunt &c.

Et propterea &c.

Vides hic horrendum Dei iudicium sed occultum aduersus eos, qui non credunt ueritati, quos (quia seduci nō metuunt & errores amant & defendunt) amplius seduci oportet, ne poßint unquam resipiscere. Non enim probauerūt deū habere in notitia etc. Ro. 1. Hoc est qd' Ioan. citat ca. 12. ex Esa. Excæcauit oculos eorū etc. Vnde et Io. 3. Qui nō credit, iam iudicatus est. Iudicia hæc dei sunt. Sunt

enim quidã, qui non solum non diligunt ueritatem, cõtra quos hic horrende loquitur, sed etiam quã ueritatẽ uidere poßent & agnoscere, blasphemant, quod peccatum quia in spiritũ sanctum est commissum, non remittetur in æternum, ut dicitur Mar. 3. de quo aliâs diximus.

Nos uero &c.

Illos qui credunt ueritati, esse ex electis ab æterno, sicut uides Ephe. 1. & eos ipsos non esse seducendos, ait. Ad tempus aberrare possunt oues, sed non deserit pastor bonus, ut errore nostro docti sciamus, quid debeamus luci Euangelicæ & seruatori Christo.

Ab initio. Ad prædestinationem pertinet.

Per sanctificationem spiritus.

Id est, internam, non carnales operum iustitias & hypocrisim illam sanctitatis, id quod exponit, addens: Ac fidẽ ueritatis.

Ad quod &c.

Eligit ab æterno, sed uocat per prædicationem. Ro. 8. Quos prædestinauit hos & uocauit &c. Vocauit autem, ut dicit, ad acquisitionem gloriæ Christi, ut eius gloriam poßideamus, & eius gloria nostra sit, qui scimus gloriam nostrã, gloriã carnis & operum nostrorũ eße coram deo confusionem & ignominiam, et gloria Dei indignos, qui aliquid gloriæ in se agnoscunt, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. De hac autem gloria sæpe diximus.

Itaque &c.

Profectum & perseuerantiam per Deum eis exoptat.

Caput

CAPVT III.

VT sermo domini &c.

Hoc est, quod dominus dicit Matth. 9. Rogate dominum messis &c. Nisi enim deus miserit, nemo feliciter prædicabit. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur, Rom. 10. Orandus ergo est &c.

Vt eripiamur.

Non hoc pro se orat Paulus qui paratus erat pro Euangelio mori, ut uides Philipp. 1. sed pro salute illorum qui adhuc indigerent uerbo dei, ut scribit Philip. 1. Permanere, inquit, in carne necessarium est propter uos.

Non enim.

Hic locus confortat pusillanimes, ne scandalizemur in hoc quod pauci credunt. Nemo enim potest uenire ad patrem nisi per Christum, Ioan. 6. Et tamen ueritas & promissio dei manet, nō potest deus inueniri mendax aut infidelis, ut maxime homines infideles sint, id est, nō credant dei uerbo & promissioni: De quo dixi in fine Epistolæ 1. Id quod Paulus Rom. 3. sic expressit. Quid enim si quidam illorum non crediderunt &c.

Qui stabiliet &c.

Hic uides quod ubiq; in Paulo atq; adeo in tota sacra scriptura, domini scilicet esse profectū salutis nostræ, & perseuerantiā, cuius est et initiū, sicut alibi diximus &c. 1. Thes. 2.

Præcipimus autem &c.

Inordina-

Inordinatos uocat qui præter ordinem aliorum uiuunt, id est, qui cum alij uiuāt ex labore manuum, ipsi ex labore aliorum uiuere uolunt, inuento aliquo prætextu quo hoc eis iure debeatur. Hoc uitari iubet, nec solum iubet sed etiam adiurat per nomen domini nostri IESV Christi, nimirum præsentiens quanta pestis Christianæ reipublicæ ex tali ocio erat proditura, ut hodie peruersa appellatione sacros ordines & ordinatos illos solum appellemus, quos hic Paulus inordinatos uocat. Vnde & de se scribit. Non inordinate gessimus nos inter uos neq; gratis &c. Tales rursum sunt in ordinem redigendi, sicut hodie sese redigunt ultro multi, ut hic quoq; sicut & in reliquis præstigium mundo & fabula uideri digna ostendatur, fuisse scilicet absq; ordine Christiano qui se solos in ordine esse & in ordine sacro siue etiam sacratissimo iactitabant, quos tantum abest, ut Paulus pro sacris haberi uelit ut etiam cum adiuratione uitandos esse præcipiat. Tales enim nobis suis doctrinis, scriptis, traditionibus & hypocritica conuersatione confirmauerūt illam fidei defectionem, de qua supra diximus, ita ut nemo resipiscere potuerit nisi tandem iam miserente deo reddito nobis sacro Christi Euangelio.

Non quod &c.

Nullus iure Euangelico debetur uictus ex alieno labore nisi prædicatoribus & doctoribus uerbi dei, qua tamen libertate Paulus sæpe uti noluit ne inordinate illi eū exemplum habere uiderentur, qua de re plura scribit. 1. Corin.

Corin. 9. & 2. Corin. 11. Non dico interim de illis qui sibi parare non possunt.

Quod si quis &c.

Nota hic Christianam excõmunicationem siue Euangelicam quæ debet ferri in eos qui scandalo sunt Ecclesiæ dei, & non in miseros & pauperes, ut nunc fit ab illis qui digni sunt ipsi excommunicatione & quos deus pro excommunicatis habet, quia dilectionem ueritatis Euangelicæ non suscipiunt. Quod uides Matth. decimo octauo. Si, inquit, Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ne hoc intelligas ut Papistæ intelligunt quod talis sit ultra infima tartara deturbandus, uide hic sanam interpretationem. Vt, inquit, pudore suffundatur, id est, ut discat agnoscere suum erratum. Neque uelut inimicum habeatis cum quo non liceat colloqui, ut Papistæ docent, sed admonete ut fratrem ut resipiscens fiat alijs fratribus similis & æqualis. Quod uero Ioannes Epistola secunda prohibet, ne aue ei dicamus, intellige de adulantibus & peccata fratrum dissimulantibus, qui, ut dicit, communicant operibus eorum malignis, & præterea de illis illic solum loquitur uitandis qui non permanent in doctrina C H R I S T I *& qui* C H R I S T I *doctrinam non habent. Sunt autem, ut dicit, multi seductores qui exierunt in mundum, qui confitentur* I E S V M *non uenisse in carnem, ut sunt hodie omnes qui alias satisfactiones & operum iustitias nos docentes nõ permittunt nobis qđ* C H R I S T V S

in car-

in carne sua satis fecerit non pro nostris tantum pecca-
tis sed etiam totius mundi, ut dicit Ioannes epistola
prima, & quod solo CHRISTI me
rito non nostro saluamur. De talibus loqui
Ioannem nõ dubito: Erant enim tũ
pseudapostoli, de quibus uides
in omnibus ferè Aposto-
lorum scriptis.

Ipse autem.

Quare dominus siue deus pacis dicatur
diximus Epistola superiore.

FINIS.

IN EPISTOLAM PRIMAM D. PAVLI AD TIMOTHEUM, IOANNIS POMERANI ANNOTATIONES.

Timotheum Apostolum, id est, Episcopum siue prædicatorem à se ad hoc ordinatum Paulus instruit quid doceat nempe fidem tantum & charitatem, reiectis fabulis & & inutilibus quæstionibus & pugnis uerborum & disputationibus inanibus pro ambitione & auaricia institutis, quæ pestes sunt syncere in Christum fidei & in proximum charitatis, neue admittat doctrinas dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium quas in nouissimis temporibus regnaturas præuidit Hæc sparsim in Epistola. Capite uero secundo de oratione cõmuni instruit & quid mulieres deceat erga uiros. In tertio, Episcopos & diaconos Christianos depingit cum eorum uxoribus, familia & liberis. In quinto modum monendi singulos præscribit, & uere uiduis prouideri uult ab Ecclesia. Docet quoque Episcopos qui laborant in uerbo & doctrina esse dignos quibus uictu & amictu prouideatur. Et de iudicio Episcopi in peccãtes subdit. In sexto docet quid serui, quid diuites monẽdi sint, præter ea quæ de doctrina Christiana interserit, ut supra dictum.

Loci insigniores sunt.

Primus quæ sit doctrina Christiana & quæ prophana, locus maxime necessarius ne fiducia operum legis iustificatorem deum negemus, aut inani disputatione & pugna uerborum & inutilibus quæstionib· fidem simul lædamus & charitatem cap 1·4· & ·6· Secundus qd' lex iusto non est posita sed iniustis cap·1· id quod Gal·5· sic legis: Si spiritu ducimini non estis sub lege· Manifesta sunt aūt opera carnis &c· Tertius quod blasphemia & cōtumelia & persecutio contra Euangeliū Christi nō noceāt autoribus suis, qui errātes per hoc putant se obsequium præstare deo, modo postea cognita ueritate resipiscant, ut Paulus· Alij uero qui scientes cōtra ueritatem pugnant & blasphemant, peccant irremissibiliter in spiritum sanctum, ut est in Euangelio, uerum hic non est nobis præcipitanda sententia· Hic locus hodie scitu necessarius est, cap·1· Quartus quod pro omnibus est orandum, & pro regibus & prælatis ut sub eis nobis quiete uiuere liceat· Deus enim nullum statum reijcit, sed ut ex infirmis ita & ex sublimibus quosdam ad sui agnitionem perducit cap·2· Quintus, habitus mulierum, & ut sint in omnibus uiris subiectæ cap·2· Sextus, officium & spectata conuersatio Episcoporū & diaconorū & eorum uxorum, liberorum & familiæ, cap·3 Septimus, doctrina dæmoniorum, satis hodie notus locus cap 4· Octauus, Pietatem ad omnia ualere, parum uero corporis exercitationem, locus magis necessarius quàm uideatur cap·4·

Nonus

Nonus, de uiduis capi. 5. Decimus, quòd neceßaria uitæ debentur doctoribus, ab ipsis auditoribus cap. 5. Vndecimus, de accusatione, & iudicio in peccantes, ibidem. Duodecimus, quòd neque serui, neque diuites alieni sint à regno cælorum, etiam in ipsa seruitute, & in ipsis diuitijs, modo sequantur quæ Paulus monet capite sexto. Præterea, qua comitate agendum sit cum omnibus, principium capitis quinti ostendit.

PAulus Apostolus &c.

Hac inscriptione suum uerbum commendat Timotheo, & omnibus lecturis Epistolam, ut certi simus, hoc esse uerbum Dei, non hominis: quandoquidem doctrinas & mandata hominum reijcit Deus in Esaia, & Christus in Euangelio, & lex non patitur aliquid addi uerbo Dei. Dicit ergo, se Apostolum esse Christi, & sibi commißum eße Apostolatum, id est, officium Euangelij prædicandi à Deo. Quasi diceret: Non uenio mea referre, sed quæ mihi commißa sunt à Deo.

Dei seruatoris &c.

Deum seruatorem uocat, quia ipse per Christum seruat siue saluat nos, & sicut dicitur Ephes. 1. fecit nos dilectos in dilecto filio suo. Et Christum uocat spem nostram, quia qui Christum non habent, in desperatione uiuunt, sicut Ephes. 4. Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudiciciæ &c. Hypocritæ quidem fingunt se sperare,

ſed ueniente tentatione, ſpem non habent, quia Chriſtum non habent.

Germano.

Id eſt, uero, qui Chriſtum recte didicerat ex doctrina Pauli, qui ob id ſe eius patrem ſcribit, qui germani filij in fide ſint, parabola de ſeminante Lucæ octauo declarat.

Gratiam & miſericordiam (quæ eſt, quòd gratis nobis donantur peccata, & hæredes ſimus regni abſque omni merito) neceßariò ſequitur pax mentis & conſcientiarum, quæ exuperat omnem mentem. Non enim oculus uidit, nec auris &c. Niſi uero gratiam Dei & miſericordiam te conſecutum credideris, nunquam pacem habebis. Conſecutum, inquam, non ex tuis meritis, iuſtitia, ſtudio, &c. ſed à Deo, qui tantum nos diligit in dilecto filio ſuo, ut pater noſter non ſolum appelletur, ſed reuera ſit, ut nihil trepidemus ad tantam maieſtatem, qui ex miſericordia eius ſumus filij. Et à Domino IESV Chriſto, Domino noſtro, ſub cuius dominio & imperio totus exercitus inferorum, Dei filijs & Chriſti ſeruis præualere non poteſt etc. Atq; hic uides, Chriſtum nõ ſolum Dominum dici, ne quis contemnat eum, quia uidet hominem factum, ſed etiam dominum noſtrum, ut etiam agnoſcas eum protectorem, imò & te Dominum & Regem in ipſo, qui potens ſis ſupra peccatum, mortem & infernum &c.

Ne diuerſam &c.

Vel ne aliam ſequantur doctrinam, ſicut in ueteri tranſlatione. Ne aliter docerent. Prædicationi Euangelij ſiue

fidei

fidei nihil uult addi, quantacunq; specie pietatis. Id quod tum quoq; nitebantur pseudapostoli. Vnde ait Gala. 1. Etiam si Angelus &c. Nimirum præsentiebat fidem Christi doctrinis humanis abolendam, ut factum cernimus. Iccirco summe notandum quòd hic dicit, ædificationem Dei esse per fidem, sentiens reliqua omnia quæ docentur eße destructionem. Aedificatio est doctrina salutis. Destructio, impia doctrina, & salutis uastatio, ut sæpe uides in Paulo. Hanc fidei ædificationem duo genera impediunt, uel etiam destruunt ædificatam. Nam alij docent fidere in operibus legis, quia lex à Deo data, non potest non esse bona & neceßaria, quibus respondet, quòd usum legis bonæ ignorant, fidem oportet doceri, sine qua legis opera, quemadmodum lex exigit, fieri non poßunt. Fides enim spiritum impetrat, legis impletorem. Vbi uero habueris fidem, iam nulla lege teneris, & nemini quicquam debes, nisi ut proximum diligas. Roman. decimotertio. Et hoc præstabis, non solum quia debes, quia lex iubet, sed & quia uis, nimirum sic trahente spiritu uoluntatem tuam. Hoc est, quod hic dicit: Lex iusto non est posita, sed iniustis, qui uel puniuntur, uel occiduntur secundum legem, ut non sit opus quærere, an sub Nouo Testamento sint sontes plectendi, cum constet, adulteros, fornicarios, homicidas &c sub Nouo Testamento nō contineri, ad quod pertinent soli iusti per fidem, id est, credentes, contra quos non est lex. Deinde, cum multa ex lege præcipiant, intentionem legis & caput egregie negligunt,

quæ est, ut dixi, charitas in proximum, sed non foris simulato opere ostensa, sed ut hic diffinitur, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Vides, quòd ne eleemosyna quidem quantumcunq; copiosa sine fide prosit (quicquid enim non est ex fide, peccatum est) & charitatis opera quæ uidentur, non esse charitatem, nisi ex corde & conscientia quam fides purificauit non ficta, ueniant. Hi, inquit, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes esse legis doctores, sicut & hodie operum prædicatores & doctores, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus asseuerant. Præcepta quidem proponunt, & legem, siue mandata morum, sed unde tibi detur, ut sic uiuas, non docent. Inuenias hodie, qui nihil quærant in sacris literis, præter moralia, quæ deinde similia putant Ethicis Aristotelicis, aut Senecæ præscriptis, qui tamen nesciunt, quid Paulus in tota Epistola ad Romanos uel Galatas disputet, aut quid Christus uelit, dum fidem, id est, fiduciam in Deum ubique prædicat, aut quid sit quod hic Paulus dicit: Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Nam, ut inquit, quòd à talibus aberrauerunt, deflexerunt ad uaniloquium &c. Sed de his hactenus. Alij uero docti ex sacra Scriptura, sciunt non fidendum operibus, sed sola Dei misericordia: & hi recte, sed curiosi & superstitiosi, inania uocabula inueniunt, quæ literæ sacræ non nouerunt, & scientiam iactant. Contra quos in fine Epistolæ dicit: Deuitans prophanas uocum inanitates. Item, Fabulas sequuntur, id est, alia extra sacras literas,

ras, qualia multa commenti sunt Iudæi, qualia etiam multa nostri habent, quasi historiam. Et præterea genealogias quærunt nunquam finiendas, id est, de quibus ex sacris literis non potes eße certus, quas alius sic, alius aliter computat, & quisque sua præfert: quæ, inquit, quæstiones & dubia generant, nullam ædificationem. Item sunt, quorum magnus est numerus, qui magno animi negocio, nihil nisi uanas quæstiones sequuntur ex sacris literis, nusquam non hæsitantes, dum etiam nodum in scirpo quærunt. Interim uero, quàm certißimam uident sanam doctrinam, & apertum Euangelium, id est, luce clariores Dei, Christique promißiones, in utriusque instrumenti pagina, relinquunt. Qui in hoc periculo sunt, uerendum est eis, ne, dum pugnas sequuntur uerborum, relictis illis ex quibus ædificari poßent, tandem incipiant de ueritate sacræ Scripturæ dubitare, & dum umbram sequuntur, ut canis Esopicus, ueritatem, & rem ipsam, id est, fidem, amittant, quorum adhuc peior est caußa, si per hæc, sua lucra sectantes, alij alijs sese præferre contendant, de quib. capite sexto sic dicit: Si quis aliter docet &c.

Finis.

Id est: Summa summarum.

Ex corde puro &c.

Ista tria separare non potes. Vbi enim est fides non ficta, ibi est & cor purum, sicut Petrus dicit: Fide purificans corda eorum. Ibi est & conscientia bona. Quis enim

ſibi recte conſcius eſt, qui Deo non ex corde fidit? Porrò fidem nō fictam dixit, id eſt, ueram, cōtra illam, quæ hodie uulgo iactatur, qua aſſentiuntur hiſtoriæ Euangelicæ, ſicut alijs hiſtorijs, & ijs quæ geſta narrantur de Turca, de Alexandro, de Iulio Papa &c. quæ potius opinio eſt de CHRISTO, & fides hiſtorica, uel potius ficta fides, quam fides illa iuſtificans, quam ſoli norunt credentes. Hinc fit, ut noſtri libentius audiant fabulam narrari, quæ exempla uocant, quàm textum Euangelicum, quia quam fidem Euangelio habent, etiam habent illis fabulis, non aliam.

Euangelium gloriæ Dei.

Id eſt: Per quod ſolus Deus glorificatur. Euangelium enim prædicat remiſsionem peccatorum gratis, & hæreditatem regni per Chriſtum. Hic nullam gloriam habet homo, id eſt, nihil de quo glorietur in conſpectu Dei, ſed ſolius Dei gloria eſt, cuius miſericordia hæc omnia dantur, nullo noſtro merito aut operibus &c. Hoc eſt quod

R. 3 Paulus dicit: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et in Pſalm Cæli enarrant.

Beati Dei.

Deus ſic dicitur beatus, ſicut iuſtus, ſanctus &c. id eſt, beatificans, iuſtificans, ſanctificans. Eſt enim non ſic iuſtus, beatus, ſanctus, ut nos qui ſumus iuſtificati, beatificati, ſanctificati, ſed eſt ipſa iuſtitia, beatitudo, ſanctitas etc. non ex accidente bonus, ſed ipſa natura bonus, imò ipſa bonitas Lucæ. 18. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Nos uero

ſumus

sumus natura filij iræ, sicut dicit Paulus, & natura mali, sicut Christus dicit discipulis Matthæi septimo: Si ergo uos cum sitis mali &c.

Et gratiam habeo.

Hic locus nobis proponitur à Paulo, ne ob quamcunque etiam uitam, & quæcunque peccata desperemus, modo ueniamus ad Christum, ut Paulus. Hic uide, quàm omnia sint Dei, ut hic nihil præsumas, sicut illi, qui stulte putant sese posse ad Christum conuerti quando uolunt, contra Paulum dicentem: Non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Primum dicit: Qui me potentem reddidit per Christum. Deinde: Qui me fidelem iudicauit. Item: Misericordiam adeptus sum. Item: Exuberauit supra modum gratia &c. Item: CHRISTVS uenit peccatores saluos facere &c. Non nobis ergo, non nobis DOMINE, sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua & ueritate tua. Id quod hic Paulus sic dicit: Regi autem sæculorum &c.

Quod ignoras &c.

De hoc suprà diximus, in annotatione locorum.

Certus.

Indubitatus. Vetus interpres, fidelis dixit.

Immortali.

Ergo regnum eius est æternum. Inuisibili. Ergo regnum eius non est de hoc mundo, sed spirituale. Soli sapienti: Ergo præter eum, & extra eum, omnia sunt stultitiæ plena, ut nihil sapientiæ ueræ sit, ubi ipse non illumi-

nat, & ut ita dicam, sapientificat. Et de Christo prædictũ erat Hieremiæ uigesimotertio: Et regnabit rex, & sapiens erit, ex Hebr. sapientificator erit.

Hoc præceptum.

Scilicet, ut suprà, ut denuncies quibusdam &c. ut sic commendes gratiam Christi peccatoribus, sicut ego, absq; operibus legis &c. Vel potes referre ad hoc quod sequitur: Vt milites &c.

Iuxta prophetias &c.

Intelligunt: iuxta ea quæ spiritu prophetiæ antè de te cognoui, quando te feci Episcopum, ut secundum ea agas &c. Ego aũt & hic, & infrà ca. 4. intelligo prophetias doctrinas spiritus Dei, quas à Paulo, uel aliter acceperat Timotheus, sicut prophetiam accipi diximus in Esaia. Vnde ex Græco hic legi potest: Iuxta prophetias quæ ad te præcesserunt, id est, ut ambules secundum doctrinam, quam acceptisti, & quam habes, & eam ipsam defendas contra aliter docentes, idque facias in fide & bona conscientia, quæ duo separari non possunt. Nam (ut inquit) qui conscientiam bonam repulerunt, id est, qui audent aliud dicere, aliúdue facere, quàm quod in corde nouerunt, unde aliquid præ cæteris uideantur, unde cæteris superiores per contentionem appareãt, id quod est hodie multum uulgare, sed Paulus hic uocat blasphemiam. Hi, inquit, qui bonam conscientiam repulerunt, naufragium fecerunt circa fidem, id est, etiam in eo periclitati sunt, quod intus in corde sciuerunt, & tandem perdiderunt.

Tradidi

Tradidi Satanæ.

Sicut Corinthium qui duxerat nouercam, de quo uide in annotationibus Philippi. Hanc tamen excommunicationem ſicut & illam oſtendit eſſe utilem, cum dicit: ut diſcant non blaſphemare. Hæc non eſt papiſtica, quam hodie uidemus excommunicatio &c.

CAPVT II.

O ratio eſt cordis deſiderium pro re à deo impetranda. Hoc deſiderium ſi uerum eſt, nũquam ceſſat donec à deo quod deſiderat, accipit. Hoc eſt quod Chriſtus dicit: oportet ſemper orare, et non deficere. Qui non deſiderat, nihil orat, ut maxime multiloquio aëra cõpleat. Qui uero deſiderat, etiam à uerbis quandoq; non abſtinebit. Hinc fit ut generali uocabulo orationem uocemus quãcumq; cum Deo collocutionem, etiam cum laudamus in pſalmis & canticis ſpiritualibus, id eſt, quæ fiunt in cordibus. Nam ut nunquam ceſſamus deſiderare miſericordiam & nobis & proximis, ita quoq; ſemper ne noſtra uideamur quærere, deſideramus ſanctificari nomen patris noſtri, in omnibus addentes: Fiat uoluntas tua &c. Inſtruit ergo hic Paulus epiſcopum quid moneat ſuos auditores, nempe hoc ut in primis orent. Quomodo enim intelligent Euangelium, aut dilectionem conſequentur in Deum & in proximum, niſi poſtulauerint à Deo ſpiri- Oratio

tum bonum? Vt hac admonitione principio omnium di-
ſcant omnia ex Deo pendere, cum audiunt omnia à Deo
poſtulanda. Orent autem pro omnibus hominibus etiam
inimicis, id quod uero poſtulat charitas. Nec excludant ab
oratione reges & principes licet impios. Primum ut quã
pacem eis poſtulamus ueniat quoq; ad nos ut ſub eis uiua
mus in pace, quantum per pietatem ad Deum & hone=
ſtatem ad proximum liceat, ne intelligas propter carnis
pacem, quod ad homines attinet, cedendum eſſe pietati et
fidei ſiue conſcientiæ. Deinde quod hoc quoq; acceptũ eſt
Deo, ut pro omnibus oremus ſine acceptione perſonarũ
ſiue ſint Iudæi ſiue Gentes, ſiue ſerui ſiue principes, quia
ſicut ipſe ſolus Deus eſt, & omnium ſine exceptione Do
minus, ita omnes homines uult ad agnitionem ſui perueni
re, quapropter nos neminem excipere debemus, ne reges
quidem impios, cum ipſe nem inem excipiat. Sic oratur
pro Nabuchodonoſor & Balthazar Baruch 1. Item, q̃a
unus eſt mediator inter Deum & hominem qui ſe dedit
redemptionem pro omnibus, ergo rurſum nos neminem
excludere debemus dum oramus pro ſalute hominum etc.
ſcientes hocipſum & Deo patri & Chriſto quem pa
ter dedit mediatorem placere.

Deprecationes &c.

Sic diſtingunt ut deprecari ſit orare, ut malum auferra
tur. Obſecrare ut bonum ueniat, interpellare, queri de his
qui nos lædunt. Gratias agere de beneficijs acceptis. Id
quod ferè rationes uocabulorum poſtulant.

Cunctos

Cunctos homines uult saluos fieri.

Siue seruari et ad agnitionem ueritatis peruenire. Ergo iussum est Apostolis: prædicate Euangelium omni creaturæ. Sed multi sunt uocati pauci uero electi. Quomodo autem hoc conuenit cum eo quod Ro. 9. dicit: Deus cuius uult miseretur & quem uult indurat? Respondeo: quod unus locus in scriptura obscurus nõ est omnibus alijs claris obijciendus. Tota scriptura habet, impios damnari pios siue credentes saluari, illos iudicio Dei, hos misericordia. Intelligendum ergo quod dicit: Vult omnes homines saluos fieri &c de hominibus omnium statuum, id quod hic cohærentia textus postulat. Orate pro omnibus etiã pro regibus &c. quia hoc placet Deo qui nullum statum mundi reijcit, quandoquidem & iustos reges fuisse constat, ut Dauidem, Ezechiam &c. Omnes ergo homines, id est, ex omnibus statibus homines, & præterea non solum Iudæos, ut ipsi Iudæi putant, sed et Gentes per totum orbem. Sic & de Christo dicit: Qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Vide si placet Annotation. Philip. Ro. 8.

Vnus mediator.

Vnde ergo nobis tot mediatores fecerunt sine scriptura & sine uerbo Dei, qui ne uerbo quidem meminerũt, quod Christus orat pro nobis et intercedit ut mediator et solus mediator inter Deum & hominẽ, quia solus est Deus & homo, id quod nullus esse aliorum sanctorũ potest? Orãt sancti qui sunt ĩ terris pro se mutuo et exaudiũtur

à Deo

à Deo sed per Christum mediatorem, sicut ipse promittit. Si quid petieritis patrem in nomine meo, fiet uobis. De defunctis sanctis quod orent pro te, scripturam et uerbũ dei non habes, quandoquidem scriptura Christum tibi cõmendat pontificem qui ingressus est in cœlum ut illic se offerat uultui patris pro nobis, ut dignißime tractat epistola ad Heb. qui interpellat pro nobis Rom. 8. quem aduocatum habemus apud patrem qui est propiciatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2. & propiciatorium nostrum. Rom. 3. & thronus gratiæ Heb. 5. Et præterea solum deũ inuocandum eße tota scriptura & præcipit & testatur, nec aliud exemplum in scripturis habes. Cur ergo ad illa deflectis quæ nescis, relicto illo quod certũ tibi offertur? In iniuriam certe Christi alios in cœlũ posueris mediatores. Et Paulus aperte dicit: Vnus est mediator &c.

Vt esset testimonium temporibus suis.

Id est, ut hoc mysterium redemptionis Christi qua redimuntur omnes homines, id est non solum Iudæi, sed etiam Gentes reuelaretur mũdo tempore à Deo ordinato, sicut de hoc mysterio reuelando in epi. ad Eph. & alibi scribit, & hic infra cap. 3. Ad quod mysterium reuelandum dicit Paulus, se doctorem mißum à Deo Gentibus. Doctorem, inquam, in fide, non doctrinis legis: & ueritate, nõ hypocrisi operum. Veritas est fidei ubi creditur non hominum doctrinis, omnis enim homo mendax, sed soli uerbo Dei qui est ipsa ueritas &c.

Volo igitur;

Prose-

Prosequitur quod cœperat de oratiõe. Vide hic quod Paulus non requirat templum ad orationem, sed dicit, In omni loco, id est, ubicunq; orauerint &c. ne hic struas rursum Paulo calumniam quod oporteat etiam in aquis, in inferis &c. orare, quia dicit: In omni loco. Potueram et hoc quoq; quod suprà dixit, Vult omnes homines saluos fieri, sic interpretari, id est, quotquot saluantur eius uoluntate saluantur, sicut Ioan 1. Illuminans omnem hominem &c. Id est, quotquot illuminantur ab eo illuminantur, sicut & hic: Volo uiros orare in omni loco, id est, ubicunq; orauerint &c. si uidißem ad contextum orationis pertinere. Vt uideas uel hoc loco quod scriptura nihili facit sophisticas cauillationes. Qui credit credat, argutijs enim illis fidei spiritus non concipitur:

Sententia ergo (ut hoc rursum ingeram) superioris loci ex contextu orationis, petenda est. Orate pro omni hominum statu siue conditione. Nam deus nullum statum reijcit, & Christus non solum pro Iudæis, sed etiam pro gentibus cuiuscunq; conditionis existãt, mortuus est. Aduerte quod uiros uult orare cum pietate. Mulieres uero non solum cum pietate, sed & cum uestitu & opere profitente pietatem, ut ipso etiam aspectu uideãtur eße Christianæ & exemplum sint castitatis & uerecundiæ, ne auertant uirorũ animos ubi ad orationem publicam conuenitur. Nam publicam etiam orationem tunc habuisse Christianos ubi cõueniebant, testatur locus Pauli. 1. Cor. 14. Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ,

quomodo

quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? Opera uero bona mulierum, non sunt superstitiones illæ stultarum fœminarum, quarum multas ipsæ excogitarunt, multas uero à stultis confessoribus, quos uocant, & indoctis prædicatoribus didicerunt, sed sunt illa quæ scribuntur infra cap. 5. Si filios educauit, si fuit hospitalis, si sanctorũ pedes lauit, si afflictis subministrauit, si in omni opere bono fuit aßidua. Et ad Titum 2. Anus similiter &c. Et 1. Pet. 3. Similiter & mulieres &c.

Sustollentes.

Habitum orantium notat, qui nihil est, nisi & cor leuetur ad deum, sicut in psal. dicitur, Ad te domine leuaui animam meam. Id quod hic dicit, Sustollentes puras manus. Quorum enim manus sanguine plenæ sunt, illos nõ uult exaudire dominus. Esa. 1. Puræ manus non sunt nisi cor purum sit, quod sine fide purum esse non potest. Fide enim, inquit Petrus, purificans corda eorum. Id quod hic dicit, Absq; ira & disceptatione. Duo sunt quæ impediunt exauditionem, Alterum ira, id est, quod non dimittis proximo in te peccanti. Nam hanc conditionem in Euangelio semper uides adiectam. Si remiseris fratri &c. Alterum disceptatio qua disceptas tecum & dubitas nũ sis exaudiendus, hic quoq; nihil recipis. Ioc. 1. Vide Mar. 11.

Mulier in silentio.

Id est, non loquatur ubi docendi gratia cõuenitur, ubi audiendum est uerbũ dei. Nam uiris permittitur loqui cũ doctore, imò si fuerit sedenti reuelatũ qui prius docebat,

taceat. 1. Cor. 14. Mulieres uero in Ecclesia taceant, ut dicitur ibidem, ne sibi autoritatem uendicent in uiros contra legem dei quæ dicit: Sub uiri potestate eris. Et præterea Adam creatione est prior. Item, Mulier est ruina uiri. Salua tamen fiet per liberorum generationem, quod opus uelut bonum nemo hodie respicit, cũ tamen hic mulier habeat uerbum Pauli, imò dei in Paulo Et in hoc obsequitur deo qui dicit, In labore paries &c. imò hic in opere dei est qui dicit, Multiplicabo conceptus tuos & ærumnas tuas &c. Et additur, Si manserint, sic enim est in Græco uerbum plurale, quod in ueteri translatione nõ inepte legitur in singulari, uitato Hebraismo, Hebraismus enim est, Si manserint. scilicet mulieres, de quibus supra dixit, Consimiliter & mulieres &c. Hebræos subito mutare numerum, personas &c. ex prophetis notum est. Nam qui intelligunt, Si permanserint scilicet filij, non uident quàm ineptum hoc sit quasi mulier non poßit salua fieri, nisi et filij saluentur. Igitur si permanserint, inquit, mulieres in fide & dilectione & sanctificatione, qua quotidie mulier sanctior fit, id est, crescit fide & dilectione adiuncta castitate, id est, morum integritate quæ etiam doceat coram hominibus.

Aduerte uero & mulieres prophetare si habent uerbum ubi uiri non sunt qui uerbum habeant. 1. Corin. 11. Mulier orans aut prophetãs &c. Iohelis. 2. legis, Et prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Act. 21. Erant Philippo quatuor filiæ uirgines prophetantes. Et Maria canit, Magnificat &c.

Caput

CAPVT III.

De Episcopis & Diaconis.

EPiscopos eße uerbi dei prædicatores ad hoc electos, & Diaconos eße sanctorum ministros & pauperum prouisores, admonui in principio Epistolæ ad Philippenses. Hi eligebantur in ciuitate à populo, uel ab Episcopo, id est, Apostolo alio siue prædicatore qui illic populum docuerat & manere ibi non potuit, consentiente tamen & uolente eos populo. Eligebantur autem ex ciuibus probatissimis quibus erant, uxor, filij, familia, domus cura &c. sicut nunc consules eliguntur, ut hic uides. Vnde episcopatus & diaconatus officia erant, non perpetuæ dignitates, ut nunc fabulantur de charactere indelibili. Compone ergo nunc nostrorum dignitates illorum officijs, & uidebis apostolicam institutionē nostros ignorare. Igitur Apostolus laudat si qui sic cupiunt præfici, quemadmodum hic præscribit, bonum enim opus desiderant non suam gloriam aut commodum. Officia enī sunt non dignitates. Eadem penè uides Tit. 1. quæ huc quoque confer. Tales describit qui non solum docti sint & potentes in uerbo & fide Euangelij Christi et inculpati coram deo, sed etiam contra quos ne infideles quidem habeant quod iuste obijciant aut saltem de quo male suspicentur, non solum ex propria persona, sed etiam ex uxore, filijs, familia &c. ne blasphemetur bonum dei uerbū &c.

Vnius

Vnius uxoris uirum.

Id est, qui non habeat simul plures quemadmodũ tũc quidam ex Iudæis, quidam etiam ex gentibus nuper conuersi adhuc habebant. Hoc ideo ne sint suspecti de impudicicia. Non ergo hic dicitur quod mortua uxore nõ possit ducere aliam, quasi etiam tunc debeat resignare familiæ, liberis, domui, quæ hic uides &c.

Aequum.

Scilicet omnibus, & multa supportantem & dissimulantem &c.

Nouitium.

Id est, nuper conuersum & nondum probatum tentationibus, quales ferè solent putare se aliquid esse cum nihil sint. Superbiunt enim quasi fide fortes, & ueniente tentatione cadunt & negant, aperientes ora blasphemijs contra Euangelium dei.

Compositos.

Id est, bonis moribus.

Tenentes mysterium fidei.

Id est, cognoscentes, & habentes apud se fidem quæ reuelatur in corde, quæ à mundo non uidetur, & hoc cũ pura conscientia, sicut antea monuĩus fidem cum conscientia bona coniungi, id est, qui boni non audeant aliud dicere aut facere quàm quod secundum fidem sentiunt. Cap. 1.
Hoc est, quod in Act. apo. eligũtur Diaconi siue ministri pleni spiritusancto, sicut dixi in epist. ad Phil. Cap. 1.

Vxores similiter.

Scilicet Diaconorum.

Nam qui bene ministrauerint.

Id est, cum pura conscientia & absq; crimine, sicut suprà dixit, Ministrent sic ut nemo poßit illos criminari. Hoc uero quod hic additur. Gradum bonum &c. uide ne intellexeris de gradibus ecclesiasticis ut hodie dicunt, qua si qui bonus fuerit aliquã diu diaconus, poßit deinde promoueri in Episcopum, quod dignus sit maioribus qui minora bene præstiterit. Scilicet qui aliquamdiu bonus fuerit foßor, potest deinde in bonum promoueri sutorem? Ita errant nostri solum dignitates & mundanos honores somniantes non officia. Scilicet qui bene ministrauerit & bonus minister fuerit ex dono spiritus, potest etiã ab hominibus promoueri ut sit bonus doctor plebis? id enim est Episcopum esse, quid si donum prophetiæ nõ habeat ut maxime habeat mysterium fidei cum pura conscientia, sicut suprà dixit, quemadmodum omnes uere Christiani debent habere? Spiritus namq; diuidit singulis prout uult. Tu ne illum ex bono ministro promouebis in bonum Episcopum? Simpliciter ergo hic uide quod Christus dicit, Omni habenti dabitur & abundab.t Qui accepit donum à deo & utitur eo ad utilitatem Ecclesiæ, sicut Paulus dicit, Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Hic, inquam, habet, & huic dono eiusdem spiritus augetur illa gratia & abundabit ut poßit adhuc amplius præstare & prodeße. Hoc est quod hic dicit,

Qui

Qui bene ministrauerint, id est qui accepta hoc dono spiritus ut possint esse ministri electi sanctorũ, bene usi fuerint ad utilitatem Ecclesiæ siue indigentium, gradum sibi bonum acquirunt, id est, ex dono dei augentis & ditantis proficiunt & altius ascendunt in eodem dono, ut indies magis ac magis quàm ante prodesse poßint, quia omni habenti dabitur & abundabit. Nota est illa parabola Euangelica quæ certe de donis loquitur, ubi hoc additur: Ab eo autem qui non habet, id est, dono accepto sicut illic uides non utitur ad sanctam usuram, etiam quod uidetur habere auferetur ab eo, id est, inutilis reddetur ablato rursus dono, & paulatim ab eo etiam fides cordis aufertur, & excæcatur, quia infidelis fuit in commißo. Iccirco hic etiam (quod mihi maxime & uel solum placet) poteris coniungere sic, gradum sibi bonum acquirunt & multam libertatem in fide, ut intelligas gradum bonum in fide, ut crescant ex fide in fidem qui ex fide bene ministrant. Et multam libertatem in fide, id est, abunde accipiunt liberam in omnibus conscientiam & fiduciam in deum nulla cordis angustia & diffidentia laborantes, qui ex pura conscientia bene ministrant. Quasi dicat Paulus, Tales eligendi sunt in ministerium ex quibus indies maior speratur per deum profectus.

Vt noris &c.

Id est, quæ curare debeas &c. Nam mox cap sequenti, de nostris Episcopis longe diuersis dicturus est.

O 2 In domo

In domo dei.

Hæc domus deum habet habitatorem, regnum cælorum, regnum dei, regnum Christi, templum spiritus sancti, columna & stabilimētum ueritatis, quippe quam spiritus habitator fundauit supra firmam petram, id est, Christum, docens in ea omnem ueritatem, contra quam ueritatem ne portæ quidem inferorū prævalere possunt. Extra quam sunt meræ tenebræ & errores & regnum principis tenebrarum &c.

Et citra controuersiam &c.

Magnum est pietatis mysterium, id est, arcanū hactenus mundo incognitum, quod Ecclesia dei mirūctis nouit, cuius ministri sunt Timotheus, Paulus &c. sicut ad Corinth. dicit: Sic nos existimet homo &c. Mysterium aūt hoc est, Deus manifestatus est in carne assumpta. Ioan. 1. Verbū caro factū est &c. et uidimus gloriam eius &c. Iustificatus est in spiritu, id quod deo non conuenit, sed Christi humanitati quam certum est nō à seipsa fuisse iustam, sed à deo qui solus iustificat, deo uero tribuit quia deus & homo unus est Christus, sicut filius dei dicitur mortuus pro peccatis nostris. Recte ergo distribuit, manifestatio est in carne, iustificatio autem in spiritu. In carne miraculis proditur & prædicat & prædicatur. In spiritu autem iustificatus non nisi fide creditur, siquidem in Christum hominem deus ita iustitiam infudit, ut ipse esset nobis iustitia & sanctificatio & redemptio, sicut primo Corin. primo dicitur, qui factus est nobis à deo

sapientia

sapientia &c. Et in psal. 44. Propterea unxit &c. Et Io. 10. Quem pater sanctificauit & misit in mundum &c. Et Ioan. 3. Non ad mensuram dat Deus spiritum, pater diligit filium & omnia dedit in manu eius. Atq; hic caro non prodest quicquam, nisi etiam iustificatũ credas Christum in spiritu, atq; adeo iustitiam Dei per quem iusti simus et satisfiat p peccatis nostris & saluemur. Hoc autẽ mysteriũ manifestati dei ĩ carne Christi et iustificati dei ĩ spiritu Christi dignatiõe dei reuelatũ ẽ uniuersæ creaturæ. Nã et ãgeli desiderãt ĩ ea prospicere quæ per Christũ habemus. 1. Pet. 1. et oculus nõ uidit nec auris audiuit etc. Et prædicatum est Gentibus, cũ soli Iudæi sibi uiderentur ad Messiam pertinere & ad mysterium regni cœlorum, sicut diximus Ephes. secundo & tertio. Creditum autem est in toto mundo, alioqui quid profuisset prædicatũ esse? Præterea receptum est in gloriam, ut omnes glorificent filium, sicut glorificant patrem, ut in nomine Iesu omne genu flectatur &c. et omnis lingua cõfiteatur quod etc. Gloria hæc est in omni terra & super omnes cœlos. Tanto enim excellentior angelis factus est &c. Heb. 1. Regnũ enim & sacerdotium habet æternum &c. Porrò certũ est ueterem interpretem aliter legisse in Græco, sicut & Ambrosius legit quod sic reddit: Quod manifestatum &c. & omnia quæ sequuntur, ad mysterium referuntur, sed in eandem sententiam recidit. Innotuit enim mũdo prædicatione foris & miraculis, sed credi non potest et intelligi nisi spiritu &c.

CAPVT IIII.

HVnc locum explicaui in epistola. 2. ad Thes. ca. 2. Quae uero sint nouissima tempora, ut uetus translatio habet, dixi Esa. 2.

Creauit ad sumendum.

Genesis primo & nono.

Cum gratiarum actione.

Vt ex beneficio agnoscant patrem. Sanctus est qui comedit carnes & gratias agit: Indignus est omni creatura qui abstinet à carnibus & non agnoscit creatorem. lege. 1. Corin. 10. Quare libertas mea iudicatur &c. lege quoq; Rom. 14. Voluit & tali beneficio à Gentibus agnosci, sed tenebrae erant in mundo, sicut Paulus dicit, Acto. 14. Qui in praeteritis generationibus &c. Sed quare dicit, fidelibus, cum & infideles edant, bibant, utantur creaturis? Dico, quod Deus fidelibus dedit suas creaturas, ut uides Gene. 1. id est, ante lapsum Adae. Post lapsum uero infideles in omni peccant creatura, Titum primo. Omnia munda mundis. Infidelibus nihil est mundũ &c. Hinc fit ut fidelis edendo carnes quacunq; etiam die, glorificet Deum. Hypocrita autem & iustitiarius abstinendo etiam peccet. Primum, quia damnat creaturam Dei bonam. Deinde gratias simulare potest, agere non potest, quia abijcit Dei beneficium. Et praeterea confidit in sua abstinẽtia, in contumeliam Dei, cui soli fidendum est &c. Domini creati eramus omnium creaturarum, uerum hoc domi-

nium in

nium in Adam perdidimus, sed in Christo redditum est credentibus. Hinc est ille psalmus, Domini est terra &c. Omnia subiecisti etc. Ergo sine peccato uteris omni creatura Dei, modo non contra præceptum Dei (nam traditiones humanas nihil moror) quia omnis creatura in Christo tua est, & ita quoq; Paulus 1. Corin. 10. citat ex psal. testimonium. At dicunt iustitiarij illi ciborũ, & nos credimus. Respondet Paulus: Mentimini. Ego fideles interpretor illos qui cognouerunt hanc ueritatem quam uos ignoratis, scilicet quod quicquid creauit deus bonum sit, & nihil reijciendum si cũ gratiarũ actione sumatur.

Sanctificatur &c.

Quid est quod creatura Dei in se bona est, & tamẽ hic dicit: Sanctificatur? Respondeo, bona est, quia creatura est, immunda autem est ei qui ea abutitur, aut qui eam immundam ad utendum credit. Sanctificatur igitur ad usum utentis ea, sicut 1. Corinth 7. dicitur: Sanctificatus est uir &c. ubi sanctificatio ad usũ matrimonij pertinet, quod mulieri fideli licet uti matrimonio infidelis uiri & contrà, absque peccato, & non minus sine peccato quam si uterque esset fidelis. Hic non fit in se sanctus infidelis sed ad usum matrimonij fit sanctus ut fidelis coniunx utatur infideli ut re in se bona & ad hoc à Deo creata. Sic & cibus in se bonus non fit sanctior, sed ad usum sanctificatur, ut sine peccato utaris, quæ infideli & gratias non agenti non esset sancta, id est, munda. Sãctificatur, inquit, per uerbum Dei, quo credimus omnia

nobis eße sancta, ut suprà, & per orationem qua talia oramus nobis dari & pro datis gratias agimus, sicut supra dixit: iam uide stultitiam iustitiariorum qui in cibis & alijs creaturis quærunt sanctitatem, cum ipsæ creaturæ licet bonæ sint creatione tamen sanctæ nobis, id est, mundæ esse non poßint sine nostra fide & gratiarum actione. Quæ de usu ciborum diximus, omnia etiam intellige de usu matrimonij, id quod non obscure ex præcedentibus intelligis. Creatura enim dei bona est mulier si utaris sicut Deus instituit, si contra Dei institutionem, ut fit in fornicatione et adulterio, iam bona tibi non est quã Deus bonã fecit, iam et in eadem damnatione es si in matrimonio putas usu creaturæ (modo secundum Deũ fiat) peccari, damnas enim non solum creaturam, sed & dei institutionem &c.

Bonus eris.

Iam doctrinæ dæmoniorum dicunt, Hæreticus eris.

Enutritus &c.

Duo dicit: Oportet illum accepisse sermones fidei qui uult bene docere &c.

Cæterum prophanas &c.

Prophanum dici quod sacrum non est etiã puer nouit. Quicquid ergo ex sacris literis non est, prophanũ & anile est, licet hypocrisis & mundus hoc ipsum pro magna habeat sapientia. Christianus homo hoc ipsum imò repo nat pectore, quod si contẽpserit Christianus non est.

Exerce temetipsum ad pietatem &c.

Pietas

Pietas in scripturis (unde pij dicuntur) est honor Dei. Honoras autem Deum, si credis ei, fidis ei, times eum, laudas, diligis, sciens omnia tua esse nihil, & damnata, in solo autem Deo, tuam esse salutem, & nullam rem, nullam prorsus iustitiam humanam te posse liberare à peccatis, aut saluare, sed solam Dei gratiam, per Christum IESVM Dominum nostrum. Contrà, impietas est, ubi hæc non adsunt, ut maxime omnia deceptis sensibus & concupiscentiæ oculorum sanctissima uideantur. Igitur exerces te ad pietatem, non quando tuo studio tibi talia parare niteris, id quod fieri non potest, nam hæc habuit iam Timotheus, sed quando continuo desyderio hæc à Deo postulas, sciens beatos esse qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ut tuam tibi usq; sequi liceat uocationem. Hæc pietas ad omnia utilis est, tua enim salus est, & aliorum, & certa salus est. Certa autem, per uerbum Dei. Nam promissiones habet præsentis uitæ & futuræ. Vtræque saluant, modo eis credas: nam uerbo Dei credis, hinc & iustificaris. Pijs, ut olim, multa promittebantur terrena bona, ut est in lege Moisi, ita & nobis dicitur: Hæc omnia adijcientur uobis: Nam de promissionibus uitæ futuræ quid attinet admonere? Corporalis autem exercitatio tales promissiones non habet, sed parum utilitatis habet, scilicet, dum non pro pietate eam habes, sed pro pietatis ministra, dum exerces corpus uigilijs, ieiunijs, abstinentia, laboribus, ne insolescat contra spiritum, & pietatem impediat, sed potius seruiat, sicut Christus admonet: Attendite uobis, ne corda.

pietas

Impietas

Exercitatio enim est corporis, quam exercere potes & intermittere pro tuo arbitratu, prout corpori tuo necessarium fuerit. Quòd si corporali exercitatione, & quicquid externo opere fieri potest te iustificari credas, iam corporalis exercitatio non solum non habet aliquid utilitatis, sed etiam impia est, & te damnat, quia quod Dei est, tuis asscribis operibus, & adoras opus manuum tuarum &c. Iacent igitur hic omnia iustitiariorum opera, quæ & præterea in fide fieri non possunt, quia promissiones Dei non habent. Longe ergo à salute omnium sectarum ordines &c. Atq; hic addit Paulus, obstruens contradicentiū ora.

Indubitatus sermo &c.

Hodie omnes ferè de hoc dubitant, multi etiam blasphemant hanc ueritatem. Paulus indubitatum uult, & quod omnibus modis approbetur. Sed, ut maxime omnis mundus condemnet talia, ut maxime in unum omnes conspirēt contra nos, omnes mundi sapientes & sanctuli illi, tamen ab hac ueritate nos diuelli non sinamus. Illi in corporali exercitatione & ceremonijs sperant, & mortuis rebus quæ nihil prodesse possunt, confidunt. Nos talia docemus esse impietatem, & spem fixam habemus in Deo uiuente, propterea non potest nos non odisse mundus. Hæc confirment corda eorum, qui nuper didicerunt, pietatem solam esse quam respiciat DEVS, quibus hic locus sit maxime commendatus.

Qui est seruator.

Certum

Certum est, hoc dicere Paulum de saluatione temporali, alioqui non addidisset: Maxime fidelium, quos scilicet longe dignius seruat, quemadmodum & in Psalmo: Homines & iumenta saluabis Domine. Discant igitur Gentes, discant hypocritæ, non esse confidendum in creaturis & operibus suis, unde misere torquentur & pereunt, tantum abest ut salutem consequantur. Confidant autem in eo solo, unde etiam accipiũt corporis beneficia, id quod negare non possunt &c.

Præcipe hæc,
& doce.

Si audis hic Paulum, eris hæreticus hodie &c.

Nemo tuam.

Id est, sic uiue & exequere negocium tibi commissum, ut despici non possis, id quod protinus exponit, dicens:

Sed esto forma &c.

In spiritu.

Id est, feruore spiritus, ut ad omnia sis strenuus, ut bonus miles Christi.

In puritate.

Vel castitate.

Donec.

Vult non esse neglectorem officij pastoralis, quod hic donum uocat. Ad quod donum duo requiruntur, Prophetia, & uocatio. Sine his duobus, nemo præsumat esse Pastor uel Episcopus. Prophetia est donum, ut possis potenter docere quæ fidei sunt, quam si habueris, expecta, donec uoceris,

nec uoceris, uel à Deo, uel ab hominibus, sicut omnes Pro-*phetæ & Apostoli uocati sunt*. Vocatio tempore Apostolorum fiebat per impositionem manuum super caput uocati, quo ceu signo agnoscebatur ille uocatus & susceptus: sic non Apostoli (ut non sibi hoc arrogent nostri Episcopi) sed discipuli alij ab Apostolis congregati, eligunt septem Diaconos, & orantes imponunt eis manus in conspectu Apostolorum, hoc signo ostendentes Apostolis & reliquæ multitudini, quòd tales uolebant & elegerant ministros. Et Paulus imposuerat manus Timotheo docto sacris literis à puero, & erudito in fide, sicut dicit Epistola secunda, capite primo, sed non solus imposuerat, ut hic uides. Nam quod hic translatum est, Autoritate sacerdotij, non est in Græco, sed μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, cum impositione manuum presbyterij, quasi dicas latine: Senatus, id est, seniorum. Vides, consensu aliorum Timotheum electum. Ita & intellige quod infrà dicitur: Manus cito nemini imponas, & quod Tito scribitur: Vt constituas per ciuitates presbyteros etc. Impositio manuum fuit Hebræis familiaris, ubi aliquid cõmendabatur Deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioseph Gen. 48. sic manus super caput hostiæ immolandæ ponitur Leuit. 1. sic Christus imponit manus super paruulos. Et de credentibus dicit: Super ægros manus &c. Hoc quia externum signum est, uel omitti potest uel aliter fieri, quia institutum non est aut mandatum. Electionis tantum signum erat. Quæ instituta sunt, ut quòd oportet Episcopum

pum esse sine crimine, aptum ad docendum &c. hodie & negligimus, & contemnimus, & uana signa magnifacimus. Vana, dico, ubi res non adest, & insuper signis externis omnia complemus, & fingimus talia, quæ Christus & Apostoli Christi non nouerunt.

Hæc exerce.

Vt suprà, admonet eum sui officij.

CAPVT V.

HAec non est adulatio. Nam post dicitur in hoc ipso capite: Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, sed potius est Christiana modestia, cum omnibus, tum maxime Christiano doctori necessaria, ut et uerba quoq; nostra spirent amorem. Verum hic additur, cũ omni castitate, ut blãda fœminarũ appellatio, non solum apud nos pura, sed etiam apud ipsas, & apud alios, sine suspitione sit. Oportet enim nos prouidere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Roman. duodecimo.

Viduas honora.

Locus hic est de uiduis, quas omni auxilio destitutas suscipiebat Ecclesia alendas, quibus prouidebãt Diaconi ex bonis ab Ecclesia in pauperes collatis. Hæ non propter uotum, quod scriptura non nouit unquam, suscipiebãtur, sed propter paupertatem. Et has uocat uere uiduas, quæ nõ solum marito, sed etiam filijs aut amicis qui eam alere possent, aut bonis destitutæ sunt. Has præcipit honorandas, non

patet hor ex 6. cap. Act.

non uerbis aut gestu, sed ipsis rebus, sicut præcipiuntur honorari parentes. Et infrà: Presbyteri duplici honore digni sunt &c. Vide, quæso, quàm diligentiss. cauet Paulus, ne inijciat laqueum, aut certe, ne cadatur in laqueum diaboli ab ipsis uiduis, quæ tantum suscipiebantur alendæ, ne ocium sectantes, in alieno labore inciperent lasciuientes deficere à Christi fide. Quàm bene nouit Paulus hoc genus de quo dicit: Quæ in delitijs uersatur, ea uiuens quidem carne, mortua tamen est Deo, id est, fidem abnegauit. Vbi nunc sunt illi laudatores uirginitatis & uiduitatis, qui nihil aliud faciunt, quàm quòd in laqueos trudunt insanis laudibus nescientes, de quibus affirmant. Paulus laqueos cauet, & in uirginitate, et in uiduitate, sicut hic uides, & 1. Cori. 7. Propter fornicationem, inquit, unusquisque habeat uxorem suam. Et iuniores uiduas uolo nubere, filios procreare &c. & sic sequentur, non Hieronymum, sed Deum, qui eas ad talia creauit, certæ quòd Deo talia placeant, & quòd per hæc seruiant proximis, id est, marito, filijs, familiæ. Reliqua in hunc locum uide in libello de uotis, in fine. De uiduis hodie minus est periculi, de quibus tamen solis scripsit Paulus, sed alendis, non uoto astringendis. Doctrinæ uero Dæmoniorum perpetuos laqueos omni ferè ætati & sexui iniecerunt &c.

Viduæ annos natæ sexaginta, aut sunt uere uiduæ & desolatæ, hæ alantur: aut non sunt desolatæ, sed habent liberos aut nepotes, hæ gubernent domum pie, id est, in Domino, & doctrina fidei, & uicem reddant maioribus, id est, sic

seruiant minoribus ad se pertinentibus (quos uocat liberos & nepotes) sicut ipsis seruitum est à suis maiorib. Quod si facere nolunt, fidem abnegarunt, & sunt infidelibus deteriores. Quam enim fidem haberent, qui hoc nolũt quod Deus uult, & illos abijciunt, quos Deus ipsis dedit, quibus nisi seruiant, nulli seruire poßunt? Qua quæso charitate uterentur in alienos, quæ suos negligunt & contemnunt? Fides eße non potest, ubi fructus eius non ostenditur, non solum erga alienos, sed etiam erga illos, ad quos etiam natura propensa est.

Porrò, quæ uere.

Describit quæ sit uere uidua, quæ desolata speratur caste uictura. Tamen si iunior est, nubat, & non suscipiatur alenda. Tradatur marito alenda, ne forte postea lasciuiat in Christum Sed quis hodie pauperem tradit marito? Felix hæc ordinatio, sed non seruata. Degenerauit autem in sectas perditionis utriusque sexus.

Nec omnes uiduas sexaginta annorum, licet desolatæ sint, suscipit, sed quæ testimonio hominum comprobatæ sunt, ne postea sint scandalo Christianis inter Gentes.

Primam fidem.

Id est, fidem in Christum. Alioqui non diceret, Lasciuire cœperint in Christum, quæ deinde nõ solum sunt scandalo Christianis, uerum etiam obloquuntur in domibus aliorum uel gentilium, dum quærunt maritos: Vide libello, de Votis. Hoc est quod hic addit: Nullam occasionem dare aduersario, ut habeat ansam maledicendi Euangelicæ doctrinæ.

ctrinæ. Fidem uero in Christum, & non uotum intellige-re Paulum, satis ostendit quod sequitur:

Iam enim nõnullę deflexerũt secutæ Satanã.

Præceptũ charitatis exigit, uere uiduis succurrere. Cætera quæ hic ordinat de uiduis Paulus, bona sunt ad cauendos multos laqueos in uiduis, quæ tamen nõ ita accipe, quasi legem tibi præscribat Paulus, cum uir spiritualis posset etiam adhuc aliqua ex his immutare, & aliter obseruare, pro loco & personis, si uideret expedire, præter ea de quibus scribit: Hoc honestum est, & acceptum coram Deo. Tu uero uide, ne ista contemnas, caue laqueos, caue scandala. Paulus astutias Satanæ non ignorauit &c.

Quòd si quis fidelis.

Iam etiam gloriantur Monachi, quòd sua relinquũt, ut uiuant ex Ecclesiæ bonis. Clerici uero, & sua retinent, & pauperum sudore uiuunt. Paulus non uult, ne uiduis quidem, quibus per amicos succurri potest, grauari Ecclesiam.

Qui bene præsunt.

Senioribus, qui præsunt in ciuitate reliquæ multitudini, & bene præsunt, debetur duplex honor. Alter, ut autoritati eorum deferatur, & obediatur eis cum reuerentia. Bene enim præsunt, id est, secundum iudicium spiritus quod habent, omnia sine neglectu disponunt. Alter, ut ex Ecclesiæ bonis eis prouideatur de necessarijs, qui ob gubernandi & curandi quæ gregi salubria sunt occupationem & studium, sua curare non possunt. Et cum hæc

debeantur

debeantur illis, quia bene præsunt, id est, in domino præsunt. In primis debentur inter ipsos ijs, qui laborant in sermone & doctrina, id est, Euangelistis siue doctoribus. Mat. 10. 1. Cor. 9. Gal. 6.

Aduersus presbyterum.

Qui præsunt, facile incurrunt odia inobedientium. Et iccirco non facile audiri debent, qui tales accusant, cum quod suspecti sunt accusatores, tum quod maiori scandalo sunt, qui præsunt, si crimine notati fuerint uel suspecti. Quod si manifestum fuerit ecclesiæ, eos peccaße aut peccare, uel contra eos probatum fuerit duobus aut tribus testibus secundum legem Deut. 19 ab Episcopo, id est, Euangelico doctore siue Apostolo, qui illic constitutus est, debent coram omnibus argui, ne dum conniuetur, error eorum uideatur uel approbari, uel non esse error, & inueniat imitatores. Ideoque non est necessarium quærere, quomodo hæc conueniant cum uerbis Christi Matth. 18. Corripe eum intra te & ipsum. Nam hic dictum est Ecclesiæ, ergo coram ecclesia corripiendi sunt presbyteri peccantes si sic conuicti fuerint. Maius præterea periculum est in ijs qui præsunt, si peccant, quàm in alijs fratribus. Aduerte ergo, quod consequentia textus postulat, ut quod dicit, Eos, qui peccant &c. de senioribus siue presbyteris intelligas. Si uero de quibuscunque intelligere uolueris, tamen neceße est, ut de manifestis criminibus aut de conuictis intelligas secundum Euangelium.

Obtestor &c.

P Deus

Deus Christus & electi angeli nostra uident. Sic ergo exequamur nobis commissa, ut in conspectu talium.

Vt serues:

Inquit, hæc sine præcipitatione iudicij, sed sano consilio & diligenti inquisitione, & per testes &c. Nihil faciens iuxta propensionem animi, id est, carnali iudicio & fauore in personam, aut odio: Hoc uide, ne subito proferas sententiam secundum affectum subitum, quia & lex de iudicibus dicit Deut. 16. Iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinēt. Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum et mutant causas iustas. Iuste quod iustum est persequeris.

Manus cito &c.

Id est, subito ne alicui committas Episcopi munus, sed probetur primum, si talis sit, qualem suprà depinxi.

Neque communices peccatis alienis.

Si qui iniuste faciunt, si qui quod iustum est, non iuste exequuntur, uide ne consentias, ne conniueas, ne taceas, sed contradicas &c. Vt si nihil aliud efficias, tamen conscientiam tuam liberes. Hoc est quod addit: Temetipsum purum serua.

Ne posthac.

Hinc habes, quòd corporales exercitationes pro nostro arbitrio seruare, mutare, intermittere possumus, quæ adhibemus secundum corporis nostri rationem, ut seruiat, non intereat &c.

Quorundam

Quorundam hominum &c.

Quia dixerat, Neq; communices peccatis alienis, ne hic superstitiosius trepidaret Timotheus, dicens: Quid *si ignorem peccata aliena, id est, illorum, quibus communico?* Respondet: Dies docebit. Ergo *quod dixi, ne sis in iudicio praeceps.* Nihil *opertum, quod non reuelabitur. Interim nihil iudicato, pro bonis habeto, de quibus nemo male sentit, qui nemini sunt occasio peccati.* Hic *nihil tuae conscientiae aut tuo officio erit periculi.* Atq; *hanc hic esse ueram sententiam, quam contextus requirat, credo, ut iudicium hic non intelligas illud Christi extremum, sed iudicium humanum in hac uita, quod suprà commisit* Timotheo. Sic dicit: Manifesta *peccata praecedunt ad iudicium, id est, non indigent iudicio, uelut iu dices, siue sententiam de eis proferas, quia iam iudicata sunt.* Aliquorum *uero peccata & subsequuntur, id est, postea nota fiunt.* Ex *fructibus enim cognoscetis eos.* Sic *& opera bona manifesta sunt ante, id est, antequam iudicentur, uel de eis sententia feratur.* Ea *uero quae secus habent, id est, in occulto male fiunt, aut uelut bona sese per hypocrisim uenditant, occultari non possunt, id est, suo tempore produntur.* Tunc *ergo iudicandi sunt ab ecclesia mali, quando malos esse notum fiet.* Non *maculauit Christum, quod* Iudam *habuit* Apostolum *caeteris nescientibus, quod esset diabolus & proditor.* Nam *interim non male docuit, officium non neglexit, nemini scandalo fuit &c.* Sic *& de manifestis fructibus carnis & spiritus legis* Gal. 5.

P 2 Caput

CAPVT VI.

PRima Corint. 7. dicitur: Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est frater, in hac permaneat apud Deum. apud Deum, inquit, ne credas te in conditione turpi oportere manere, quando uenis ad fidem. De omnibus ergo medijs intellige. Media sunt siue indifferentia omnia externa, præter ea, quæ Lex prohibet. Nihil ergo refert Christiani, siue Iudæus sit, siue Gentilis carne, siue seruus sit siue dominus, siue mas sit siue fœmina, siue sutor, siue consul, siue rusticus, siue princeps &c. Serui igitur non detrectent officium, quia Christiani facti sunt. Nā hanc conditionem eis Deus dedit, ut in hac uitam transigant, nisi melior sese libertatis etiam corporalis obtulerit occasio sine domini iniuria, aut cum domini uoluntate. Seruiant ergo cum bona conscientia, siue dominis gentilibus, quia hoc gratum Deo est, ne blasphemetur Euangelica gratia, sed commendetur potius, quòd tales faciat seruos talesq; homines. Siue Christianis dominis, quia iam non tam dominis, quàm fratribus seruiunt, de quo etiam gaudeant, quòd tales habeant dominos, qui turpia exigere non possunt. De hoc loco uide in epistola Petri, & sæpe aliâs in Paulo.

Hæc doce.

Omnia respicit, quæ dixit. Nam (quod & in principio monuit) aliud docentes uitari uult, id est, illos (ut ait) qui non accedunt sanis sermonibus Christi & doctrinæ, quæ

ad

ad pietatem tantum pertinet. Hic uides hæreticos eße omnes & excommunicandos, qui aliud docent. Vides quoq; omnes epistolas Pauli nihil aliud esse, quàm sermones Christi et doctrinam, quæ solum spectet pietatem, quomodo enim alia doceret, quæ ipse sub excõmunicationis maledicto uetat? Aduerte hic quàm egregie depingat illud genus doctorum, qui aliud docent, scilicet eße homines inflatos, ignorantes, insanientes ad inutiles quæstiones & disputationes de genealogijs, de iudaicis fabulis, de animabus separatis, de choris angelorum, de fictis reuelationibus, de humanis traditionibus, de ijs, quæ scriptura nõ nouit, ex quibus nascitur inuidia &c. dum quisq; se præferre sua sapientia nititur. In summa, dicit esse homines, quibus adempta est ueritas, id est, fides in Christũ, qui omnia tentãt, ut quæstui suo consulant, uocantes tamen interim quæstũ pietatem, id est, gloriam & cultũ Dei. Hic uides sophisticos theologos & papisticum regnum, de quibus rursum in fine: O Timothee &c. Vbi iubet eos excõmunicandos, & eorum doctrinã uitandam, q. habeant ficta & inania uocabula, quæ scriptura non nouit, et opponũt scientiã suam, quæ scientia non meretur dici, sed inscitia & insipientia, quã profitentes à fide & à scopo uero aberrauerunt. Isti sunt qui liberum arbitrium habent p gratia, rationem pro fide, opiniones pro iudicio spiritus, doctrinas hominũ pro scriptura sacra, quib. nihil in ore est, quàm primatus Petri, fides acquisita, uniuersalia, formalitates, actus elicitus, intellectus agens, intellectus pasfibilis

connotata, relationes rationis in peccatis &c. qui quasi doctissimi quauis de re disputant, & aliter sentientibus se sua scientia opponunt &c. sed hoc est, inquit Paulus, *à fide longe abesse, & non esse* Christianos *qui se sapientissimos, & hæreticæ prauitatis extirpatores iactitant.* Se *iungere, inquit, ab ijs, qui eiusmodi sunt.*

Est autem quæstus &c.

Quid attinet falsa scientia & humana doctrina pro quæstu seducere mundum, cum quæstus uerus sit & magnus, habere pietatem, & esse sua sorte contentum? O *uerbum breue, sed sanissimum, quod creditum facit in utraque uita beatos & mente pacatos.* Contrà, *qui non curata pietate, sua sorte nolunt esse contenti, sed uolunt ditescere, id est, uoluntatem, quam* Deo *debent, consecrant mammonæ, incidunt in tẽtationem & laqueum &c. quia pro consequendo lucro incipiunt agere contra conscientiam, & perdunt fidem, sicut uides in* Euangelio *de semine, quod cecidit inter spinas.* *Cæterum attende, quòd dicit: Qui uolunt diuites fieri, non contenti sua sorte, & non dicit, qui diuites sunt.* N*am diuitiæ sunt media, quibus spiritualis rectè uti potest, hoc est, qđ infrà dicit:* His *qui diuites sunt &c. ubi præscribit, quid sit rectè uti diuitijs, si qui eas habent.*

Doloribus multis.

Id cum accidat omnibus, qui solicitudinem Deo *non relinquunt, secundum* E*uangelium:* N*olite soliciti esse etc. quid putas futurum illis, qui contra conscientiam & pietatem*

tatem audent quærere sua lucra? &c.

Homo Dei.

Nam ad Deum non pertinet qui uult seruire mammonæ. Sectare iustitiam, pietatem, fidem, per hæc cũ Deo agimus. Sectare charitatem, patientiam, mansuetudinẽ, per hæc cum proximo agimus. Hæ sunt diuitiæ Christianorũ, de quibus Christus dicit. Primum quærite &c.

Certa bonum.

Persta in fide, & nullis cede uel aduersis uel aduersarijs, ut agas uel omittas contra tuæ rationem fidei, id est, contra id quod iam doctus sentis. Apprehende uitam æternam, ne hanc uitam pro ueritate contemnas: ne huius uitæ amore contra fidem aliquid committas: aut in aliquo cedas aduersarijs. Ad quam, inquit, uocatus es. Christianus homo ad mortem huius uitæ, & quicquid ex Adã nostrum est, uocatur, & non perficitur eius sanctificatio, donec omnia intereant. Tantum enim adprehendit uitæ æternæ, quantum ei quotidie baptizante spiritu & igni decedit ex hac uita. Hæc est mortificatio ad uitam. Dum ergo uocaris ad uitam, certus esto, hoc ipsum sine morte fieri non posse, sine cruce non glorificatus est Christus, ita nec Christianus sine cruce glorificabitur.

Et professus es.

Scilicet in baptismo, cui solebant Christiani adesse, ut sciretur hic esse frater, qui baptizabatur, cuius iam confessionem astantes, ceu testes audirent. Nisi hic uelis intelligere Timotheum hanc professionẽ docendi populi &

Episcopi munus suscepisse coram multis testibus, id est, præsente populo Christiano.

Præcipio tibi.

Vides in hac Epistola, quanta cura commendet Timotheo, quæ sunt muneris Episcopi, præcipit & adiurat per omnia Christianorum sacra, sicut sæpe uides, id quod nõ facit in alijs epistolis, nimirum ostendens in hoc negocio pendere omnia, quod si nõ pie curetur, relicta doctrina pietatis, omnia quæ Christiana sunt, intereunt, sicut factum uidemus. Vnde hic præcipit coram Deo, qui uiuificat omnia, & coram Christo, qui à professione sua non decessit, cũ erat adiudicãdus morti, ut uitam ad quam uocatus est, & professionem, quam professus est, mordicus teneat, etiam in conspectu mortis & inferorum, id est, ut seruet mandatum, quod accepit immaculatus coram Deo, et irreprehensibilis coram hominibus usq; in finem. Magna enim necessitas est episcopi, ut faciat, quæ sui muneris sunt, ad quod certe indiget non paruo spiritu, quem necesse est, ut iugiter postulet à deo, alioqui nihil efficiet.

Vsque ad apparitionem &c.

Christiani ueri sic omnia disponunt, ut parati & uigilantes possint occurrere Christo uenienti ad iudicium, scientes & se tunc glorificandos, sicut de quinq; prudentibus uirginibus habet parabola, id quod legis ferè ubiq; in nouo testamento, præcipue in concionibus Iesu saluatoris & epistolis Pauli. Ad quem diem hac defuncti uita omnes seruamur exuscitandi, & tales seruamur, quales hinc abierimus.

erims. Tunc omnes simul reprobi damnabuntur: omnes simul electi glorificabuntur &c.

Qui solus.

Frustra ergo aliunde petieris, ut sis immortalis, ita solus habet immortalitatem, sicut solus habet uitam, qui & ipsa uita est. Cæterum de immortali & beato Deo dixi quoq; suprà cap. 1.

Lucem habitans inaccessam.

Id est, hominibus incomprehensam, id quod exponit, dicens: Quem uidit nemo &c. Vide annotata Ioan. 1. & Esa. 6. Vnde ergo cognoscimus Deum, sine quo nõ possumus esse beati? Respondeo, lege. 1. Ioan. 4. & inuenies &c.

Depositum.

Id est, illud quod tibi creditum est, scilicet doctrinam & officium.

Finis

IN EPISTO·
LAM SECVNDAM D· PAVLI AD Timotheum Ioannis Pomerani Annotationes·

IN hac secunda epistola, quia iam immolandus erat, Timotheum hortatur Paulus, ut quemadmodum cœpit, strenue pergat suũ exequi officium, id est, ut spiritu Dei fortis, intrepide & absq; pudore doceat, quæ sũt fidei & charitatis, sicut ab ipso Paulo & ex sacris literis didicerat, ut constans ad mortem usq; exemplo Pauli perduret, eo q̃ iam multi aliter docerent, multi offensi cruce retrocederent, multi etiam persequerentur Euangelicam doctrinam, qui ante fauere uisi sunt, q̃ etiam tunc gliscere cœperunt, quos nouissimis temporibus multiplicãdos prædixit, qui magna pietatis specie norunt occultare quicquid Euangelium Christi non patitur, sicut & superiori epistola uidimus, & loquuntur tantum, quod impiæ aures libenter audiunt· Ob hæc omnia quæ hodie regnant, iubet uigilare Episcopum· Nam dum dormirent homines, superseminata sunt zizania Matt· 13· id est, doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium·

LOci magis insignes in hac epistola sunt·

Primus, q̃ Euangelica gratia per Christum nobis à Deo data est ante mundi constitutionem, sed nunc manifestata,

stata, cap. 1. qui saluos fecit nos &c. Hic est locus praedestinationis clarius tractatus Ephe. 1 & 3.

Secundus, Qui sit strenuus miles Christi siue quilibet Christianus siue in primis Episcopus, nempe, is qui accepto spiritu, id est, cognita Euangelica gratia, non erubescit de Euangelio aut scandalizatur exorta tentatione, ut Phigellus & Hermogenes, quiq; nihil amplectitur nisi sanam doctrinam, cap. 1. Ne igitur te pudeat &c. Formam habeto &c. Huic suum manere stipendium, id est, post crucem gloriam exemplo Christi certum est, cap. 2. Memento Iesum &c. Quin & se exemplum fidei proponit ipse Paulus, cap. 1. Noui enim certusq; sum &c. cap. 2. In quo malis affligor &c. cap. 4. Nam ipse iam immolor &c. Hunc militem si sit Episcopus sic in praelium accendit cap. 4. Obtestor igitur &c. Quandoquidem, ut ait cap. 1. non dedit nobis deus spiritum timiditatis, sed fortitudinis & dilectionis & sobrietatis.

Tertius, Quae sit sana doctrina, nempe, forma salutarium uerborum de fide & charitate, sicut Paulus docet & sicut ubiq; in sacris est literis, cap. 1. formam habeto &c. cap. 2. Haec commenda fidelibus &c. Stude te ipsum &c. cap. 3. Tu uero assectatus es doctrinam meam &c. At tu persistito in his quae didicisti &c. Sana ergo doctrina non est quaecunq; non est de fide & charitate secundũ formam sanorũ siue salutarium uerborum, quae nobis in sacris literis prodita est. Iubet ergo uitari quicquid sanae doctrinae aduersum est, prophanas uocũ inanitates,

ut suprà

ut supra in Epistola praecedente, contentiones & rixosas disputationes. stultas & ineruditas quaestiones, atq; haec cap. 2. praeterea hypocritarũ doctrinas & quae quaestus gratia non pro ueritate & dei gloria docentur quae est turpis adulatio & mera insania à ueritate ad fabulas deficientium hominum mente corruptorum & quibus adempta est ueritas, ut superiore Epistola dictum. Haec habes cap. 3. Illud autem scito &c. & 4. Nam erit tempus &c. Vides igitur quanta cura Paulus in his duabus Epistolis strenuum militem & sanam doctrinam descripserit. Insipientiam uero illorum qui mente corrupti & reprobi circa fidem resistunt ueritati siue sanae doctrinae, inprimis illorum qui in nouissimis diebus sub specie pietatis fouebunt quicquid doctrinae domini nostri IESV Christi aduersum est, praedicit Paulus cap. 3. non ad finem usq; occultandam, sed ante mundi finem manifestam fore omnibus, quae Pauli prophetia his nostris temporibus coepta est impleri, nisi quis excaecatus corde hoc ipsum adhuc non uideat Sit Christo gratia, Amen.

IIII. Sunt praeterea in cap. 2. duo loci. Alter de uasis irae & uasis misericordiae. Caeterum in magna domo &c. quem locum uide Rom. 9.

V. Alter de resipiscentibus qui ante ueritati resistebant: Erudientem eos &c. quem locum in superiori Epistola fecimus tertium.

VI. Item alius locus, quod licet infideles non credãt tamen fidelis permanet Deus & promissiones eius uerae.

Si non

Si non credimus &c. qui locus quoque est Rom. 3.

VII. Item insignis locus in hac Epistola paucis annotatus, quod soli ij seducuntur insanis doctrinis, qui seducendi sunt, & soli pereunt qui perire debent cap. 2. Subuertunt quorundam fidem, solidum tamen fundamentũ dei stat habens signaculum hoc. Nouit dominus qui sint sui, & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Christi Sic Christus dixit Ioan. 17. Nemo ex eis perijt nisi filius perditionis Et Matth. 24. Ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Et Ioan. 10. Oues meæ uocẽ meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me. Et ego uitam æternam do eis & non peribunt in æternũ & non rapiet eas quisquam de manu mea &c. Ad tempus poßunt aberrare, sed reducuntur suo tempore à pastore Christo, ut est in parabola Euangelica. Nouit enim oues suas etiam in medio luporum, quandoquidem signatas habet omnes &c. Ergo interim dum ignoramus iudicia dei etiam impijs prædicãdum est, obiurgandi sunt, monendi sunt, pro eis etiam cum fletu deprecandum & omnia tentanda per Christum ut resipiscant à diaboli laqueis, sicut hic dicitur, sicut Paulus pro suis Iudæis fecit, ut uides Rom. 9. Cum uero perire eos absq; spe uidemus nihil est quod amplius doleamus iam de iudicio dei certi, quia nihil decessit nobis, nihil deo, perijt tantum quod iam ante nobis ignorantibus perditum erat, hic dicendũ, Iustus es domine & rectum iudicium tuum.

Paulus

PAulus Apoſtolus.

Quæ ad hanc inſcriptionem attinent in ſuperioribus Epiſtolis ferè diximus, præter hoc quod dicit, Secundum promiſſionem uel ad promiſſionem uitæ in Chriſto Ieſu. Per quod ſignificat non ſe terreni regni prædicatorem. Nam hic audies quod omnes qui pie uolunt uiuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patiētur, ſed neq; ſe Moſaicæ legis prædicatorem quæ uitam huius temporis promittebat facietib. legē, dicēs: Si feceris, habitabis in terrra tua, abundabis omnibus bonis pace gaudebis, hoſtes ſubijcientur tibi &c. Si non feceris lapidaberis, occideris, fame & penuria laborabis, ſeruies hoſtibus, è terra eijcieris, diſpergeris in uniuerſum mundū &c. Deut. 28. Sed ſe eſſe Apoſtolum ſiue prædicatorem ad promiſſionem uitæ ſiue ad promittendum credentibus uitam non in mundo, non in operibus legis aut quacunq; gloria humana ſed in Chriſto Ieſu, quæ uita ſpiritualis eſt, ergo & æterna, per quam omnia moriuntur quæ ſunt huius creationis, ut tandem mortificatis noſtris, ſolus in nobis Chriſtus uiuat, ut in Paulo qui dixit, Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Hanc uitam ſoli norunt credentes, caro ne cogitare aut ſomniare quidem poteſt. Nā foris nihil niſi crux & mors uidetur. Vnde. 2. Corin. 4. Sed licet is qui foris eſt &c.

Cui ſeruio à maioribus.

Nihil

Nihil refert ad salutem tuam siue habueris parētes et auos pios siue impios, sicut Ezechiæ nihil obfuit patris Achas impietas, sicut nec rursum profuit Manassi impijssimo patris Ezechiæ pietas. Quid obfuit ex gentibus credentibus quod patres coluerant dæmonia? quandoquidem filij dei ex deo nascuntur non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis aut uiri, spiritus natiuitas ad carnem nō pertinet. Quid profuisset Paulo aut Timotheo parentum fides nisi & ipsi in deum credidissent? Magna tamen gratia est à puero ad deum institui recta fide parentum, sed cui hoc non datum est nihil minus habet, modo ueniat ad Christum. Nec puto quod hic Paulus dicit pertinere ad hoc quod Episcopus sit irreprehensibilis, ut etiā ei obijci non possit progenitorum infidelitas, alioqui inter gentiles conuersos nemo potuisset esse Episcopus. Infamia parentū aliquid est quod impediat ne eligatur quis in Episcopum, non tamen sic sicut infamia propriæ domus, id est, familiæ & filiorum, ut suprà Epistola superiore. Paulus igitur hic ut admoneat Timotheum rectæ fidei, dicit hoc quod est, non præscribit quid fieri debeat, ut satis clarum est.

Cui seruio:

Pura conscientia est quando in nullo tibi conscius es te aliter uel uoluisse uel fecisse quàm sentiebas. In qua conscientia non est confidendum. Nam humanum cor adhuc tantū est, & intentio humana est utcunq; bona uel optima tibi uideatur, nisi cōsciētia sit spiritu fidei rectificata.

Impie

Impie enim agit qui confidit in cogitationibus suis, ut dicitur Prouerb. 12. Et. 28. Qui confidit in corde suo stultus est. Et Paulus. 1. Corin. 4. Neq; meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me dominus est &c. Vide hoc in Paulo. Ipse seruiebat deo secundum legem, sicut ait Gal. 1. Abundantius existens æmulator paternarum traditionum: & Philip. 3. secundum iustitiam quæ in lege est conuersatus sine querela, nec erat sibi aliud conscius, sed Christum in Lege & Prophetis nō uidebat, necesse ergo erat ut impingeret in lapidem offensionis & petram scādali, id est Christum, sicut supra ipse dixit epist. 1. cap. 1. Vide quo deducant bonæ conscientiæ & piæ intentiones, ut uocant, quando se secutæ, uerbo dei non reguntur, ita ut nulli magis impingant in Euangelium Christi quàm sanctuli illi qui sine uerbo dei & spiritu semel sibi sanctitatis opinionem arrogarunt &c. Non ergo hic gloriatur de pura conscientia, sed de deo quod sic semper eum duxerit ut uoluit usq; nunc, quod nunc quoq; colat sed uere quem semper se colere putauerat, quod ad conscientiam eius attinebat.

Neq; negligendum est quod dicit, Gratiam habeo &c. ut scias ne hoc ipsum quidem ex nobis esse quod petimus, oportet enim nos prius spiritu fidei illuminatos esse antequam petamus, alioqui quid peteremus nisi promissionibus dei certi eßemus nos exaudiendos? Gratias ergo agit deo quòd mentem iugiter pro Timotheo orādi

dederit

dederit &c. Quod sancti cupiunt etiam se uidere secundum carnē, alibi diximus: item quid sit orare die ac nocte.

Vt suscites &c.

Id est, ut non negligenter cures negocium Episcopi tibi à me & ab illis, qui adfuerunt iniunctum, ut diximus superiore epistola. Non enim, inquit, negligentiæ spiritum, aut qui timeat in conspectu aduersariorum, aut pudefiat, & scandalizetur cruce, dedit nobis Christianis Deus, sed dedit nobis spiritum potentiæ, qui etiam stet in conspectu mortis & inferorum & omnis tentationis, & spiritum dilectionis, qua diligamus non solum amicos, sed etiam inimicos: ita ut audeamus uitam, si ita res fert, despondere ꝓ eis, & spiritum sobrietatis, qua non solum attendimus, ne grauemur crapula & ebrietate, sed etiam mente sobrij simus, non sapientes plus quàm oportet, sed tantum secundum sanam doctrinam, ut non cum ebrijs dormientes, sed sobrij uigilemus ad omnem Satanæ insultum. Hæc tria, potentiã, dilectionem, sobrietatem, opponit timiditati, siue spiritui timiditatis. Igitur, inquit, qui potentiam Dei nactus es, nihil est, quod uerearis uel tuam crucem uel meã, &c. Quid enim trepidamus ad mortem, quibus uita æterna data est per Euangelium?

Qui saluos.

Hic prædicat Euangelium Paulus, & prædestinationis meminit, de quo uide Ephe. 1.

In quo positus.

Suam uocationem iactat, non solum, ut sciamus hoc esse uerbum

se uerbum dei quod prædicat, quemadmodũ solet, sed & multo amplius propter Timotheum, q.d. sic: Et tibi commissum est sicut & mihi, & eundem spiritum habemus. Sic ergo age, & sustine propter Euangelium ut ego, sic certus esto ut ego &c. ut suprà in locis diximus.

Depositum meum.

Id est, illud quod credo & spero me accepturum, scilicet redemptionem corporis huius per resurrectionem et uitam æternam, quando Deus erit omnia in omnibus, sicut infrà dicit: Reposita est mihi corona iustitiæ &c. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui: tunc accipiet quisq; secundum opera sua, fideles qui bona faciũt uitam æternam: infideles, qui sunt operarij iniquitatis, ignem æternum. Christiani omnia quæ sperant in utraq; uita, commissa & deposita habent in manu Dei, unde se sciunt & credunt omnia accipere.

Illum diem.

Diem iudicij uocat, ut solet.

Formam habeto.

Suprà in locis.

Egregium depositum.

Id est, magnam gratiam & insigne munus apostolicum tibi commissum.

Nosti.

Hæc sunt exempla illorum, qui in tempore tentationis recedũt. Rursum & illorũ, qui exorta tentatione persistũt, ut Onesiphorus cũ sua familia. Bona opera testimo

nium sunt fidei nostræ, sed sola tentatio & persecutio probat fidei constantiam & ueritatem &c.

CAPVT II.

Omnibus modis, quod & ĩ priori epistola uidimus, agit, quo Timotheum episcopum ætate adhuc iuuenem instiget ad curandum officium cõmißum, id est, ut doceat, quæ à Paulo didicerat, et ea ipsa alijs quoq;, qui idonei fuerint, commendet docenda. Atq; hic se fortificet per gratiam Christi, ut nullis cedat laboribus, nullis terreatur minis: non curet alia negocia, relicto uerbo, quandoquidem uictus corporis non deerit, cui etiam debetur corona æterna, de qua in hac epistola sæpe loquitur. Et ut hæc astruat, tribus utitur similitudinibus militis athletæ & agricolæ, & preterea addit exemplum Christi per crucem glorificati, quod & se imitari in suis dicit uinculis. Nonne hæ fortes sunt persuasiones &c.

Vitæ negocijs.

Scilicet ad quærendum uictum &c. Deo, non est in Greco, quod hactenus in ueteri translatione legimus, ut simplex sit tamen similitudo. Sicut miles præter militiam nihil curat, sic tu qui munus suscepisti Episcopi, hoc præsta, relictis alijs negocijs. Salariũ suo tempore non deerit &c. Corona nõ deerit certãti legitime, id est, quemadmodũ oportet &c. Fructus nõ deerit laboranti agricolæ etc.

Sermo.

Philipp·1·Scire aūt uos uolo &c· Ego quidem in uinculis teneor, sed sermo per me prædicatus currit, ut in psal· Velociter currit sermo eius· Et·2·Thessa·3·uult, ut oretur, ut sermo domini currat &c·

Propterea omnia suffero &c.

Hic locus explicat id quod dicit Col·1·Nunc gaudeo super afflictionibus meis pro uobis &c·

Si increduli &c.

Increduli Deum faciunt mendacem in suis promissionibus, ecce quanta eorum blasphemia· At Deus qui est ipsa ueritas, non potest fieri mendax, nam seipsum negare non potest, id est, non potest fieri non ueritas, quæ ueritas est, hoc enim esset Deum amplius non esse deum· Quæ sententia maximo solatio est afflictis conscientijs· Deus promisit, & mendax non est, quia increduli non accipiunt promissa· Nam credentes accipiunt, quod incredulis non debetur: idem locus est Rom·3· Quid enim si quidam illorum non crediderunt &c·

Coram domino.

Id est, in conspectu domini, ut etiam adiurati uideantur· Sciebat Paulus, quantū decessurum erat fidei pugnis uerborum· Vult ergo ut quibus est una fides, etiam eisdem uerbis loquatur de fide· Propterea suprà dixit: Formam habeto &c· Ex prophanis uerbis, id est, quæ non nouit scriptura, talia dissidia primum uenerunt, quando ad doctrinam sacram recepta sunt, unde non solum libros, sed

etiam

etiam animos hominum misere occuparunt &c.

Stude &c.

Sic scribit iustificato, ne hoc aliò trahas. Nam suprà audisti, fortifica te per gratiam in Christo Iesu. Operarium, inquit, te præsta, qui coram Deo non cogatur erubescere de neglecta seruitute, ut recte diuidas & scindas filijs dei tibi commissis panem uerbi diuini pro singulorum captu & conditione, ita ut tamen omnibus panem: id est, sermonẽ ueritatis dispertias, nõ uenena traditionũ humanarũ, Mat. 24. Quis putas est fidelis seruus et prudẽs etc.

Cæterum &c.

Suprà in fine superioris epistolæ.

Ad maiorem.

Sicut cancer morbus paulatim plus corporis occupat, ita illæ inanes uoces, si pro sacris recipiantur. Tandẽ enim totam fidem extinguunt: testes sunt Scotistæ & Thomistæ &c. Tales nouorum inuentores sunt, sicut Hymenæus & Philetus, qui incœperũt asserere non aliã resurrectionem sperandã nobis, posteaq̃ iam resurrectio in Christo cõpleta esset. Ita labũtur qui extra scripturã suis ingenijs fidũt & inanibus & prophanis uerbis sacra se tractare putãt.

Solidum tamen &c.

Occupatio est. Potuisses enim dicere, quomodo subuertunt quorundã fidem, cũ uera fides subuerti nõ possit, de qua dictum est: Et portæ inferi non præualebũt aduersus eã? Respõdet, Vera fides nõ subuertitur etc. suprà in locis

Cæterum in magna &c.

Iterum occupatio est· Cur Deus impia sinit, ut alij seducant, alij seducantur, cur non eos sua dignatur gratia? Respōdet per simile de supellectili et instrumētis in domo diuitis, sicut & Ro· 9· de uasis figuli, ubi lege &c·

Si quis expurgarit.

Id est, non consenserit eorū infidelitati & impijs persuasionibus, erit uas, id est, instrumentum Dei &c· Nomine enim uasis more Hebraico omnia instrumenta ueniunt·

Quid sit sanctificatum, exponit, dicens: Accōmodum usibus domini ad omne opus bonum præparatum· Significat enim sanctificatum, more Hebræo, id quod domino segregatum est, & in usum eius paratū· Hier· 1. Priusquā exires de uulua, sanctificaui te, id quod exponit sic: Et prophetam in gentibus dedi· Gal· 1· Qui me segregauit ab utere matris meæ &c·

Sanctificatum

Iuueniles &c.

Ne quid habeant uel in speciē, quod accusent aduersarij·

Cum his qui &c.

Periphrasis est, id est, cū credentibus· Ex puro autem corde dicit, ne putes aliquid esse murmur illud oris sine fide, quæ ne inuocatio quidem est, ut non dicam de puritate cordis: inuocant ex corde puro, qui credūt pmissionibus dei, & nō dubitāt se accepturos quicquid desiderarint &c·

Stultas &c.

Quia lædetur iustitia, fides, charitas, pax per talia·

Cum mansuetudine.

Non cum adulatione aut simulatione· Sicut de se scribit

bit. 1. Theß. 2. Neq; enim unquā per sermonem adulationis &c. Vide suprà in septimo loco.

CAPVT III.

DE extremis temporibus suprà diximus superiore Epistola & alibi, tēpora periculosa dicit, quia sub specie pietatis occultabūt oīa, quæ hic dicuntur ad perdendas animas, sicut iam factum est. Insipientia enim eorum nunc mundo proditur, sicut suprà diximus.

Sui amantes.

Id est, sua quærentes, non quæ Christi sunt, sicut sequitur, Auari, fastuosi, superbi.

Maledici siue blasphemi.

Sicut hodie satis uidentur illi sancti blasphemi, non solum in ueritatis professores, sed etiā in Euangeliū Christi.

Parentibus immorigeri:

Sicut qui docent obedientiam Prioris uel Guardiani, longe præferendam obedientiæ parentum, & hoc certe contra Dei præceptum doctrinæ habent dæmoniorum. Quanquam ista omnia uitia iam regnant in illis, & necessario regnant, qui Euangelium Christi in pectore non habent.

Ingrati.

Et Deo & hominibus.

Impij.

Id est, sine fide siue spiritu.

Carentes affectu.

Amicitiæ in homines.

Nescij fœderis.

Id est, mentientes, non seruantes pacta, quemadmodũ qui etiã decipere gaudent. Alij pacta fidemq; seruant, donec eis nihil decedit. Subodorantes uero lucrum aut incommodum uidentes, à fide resiliunt.

Calumniatores.

Criminatores.

Intemperantes.

Veneri dediti & adulterijs: tales in primis sunt, qui prohibent nubere, ut suprà dictum.

Immites.

Id est, sine misericordia & benignitate.

Negligentes bonorum.

Quibus boni non sunt curæ. Proprie tales sunt, qui leuibus animis nihil curant, siue iustum siue iniustum.

Proditores.

Secreta non seruantes, & insuper ad mortem tradentes homines, recte de Euãgelio sentientes, contra traditiones humanas, & hic putant se obsequium præstare Deo.

Præcipites

Iudicio, id est, secundum caput suum iudicantes quiduis, in quibus nihil est iudicij spiritus, secundum illud. Spiritualis homo dijudicat omnia. Animalis homo &c.

Inflati.

Qui recte sentientium iudicio non cedunt.

Voluptatum &c.

Id est, sua quærentes, ut suprà.

Habentes formam &c.

Id est, hæc omnia tegẽtes pietatis specie, quæ intus nõ est, sicut Christus ad Pharisæos dixit: Sepulchra foris dealbata &c. Et istos auersare.

Vides, q̃ tunc cœperint, quos Paulus prædicit nouissimis temporibus multiplicandos.

Ex his enim sunt &c.

Qui qualésue hodie, tales sint, non ignoramus: Sunt enim qui cũ non audeãt, aut nõ possint manifeste ueritati euãgelicæ contradicere, in secretis colloquijs, in secretis confeßionibus, in priuatis domibus, latenter uirus effundunt, dicentes: Cur crederes hæresi? cur non credis, qđ tui parentes crediderunt? tanta beneficia præstant illi sancti à quorum cultu & inuocatione iã auocaris, omnia pereunt missis cadentibus. Hæc agunt præcipue cum mulierculis, quæ grauatas habent conscientias, quæ ducuntur uarijs concupiscentijs, id est, nunc hoc, nunc illud superstitiose experiuntur ab impijs & superstitiosis doctæ magistris, semper discunt, & ad omnem uentum doctrinæ inclinantur, & nunquam ad ueritatis notitiam perueniunt. Sicut fit omnibus (id qđ nos experti sumus) qui deuia superstitionis & traditionum humanarũ ad graues exonerandas conscientias secuti, Euangelium Christi, quod ab omnibus liberat, non amplectuntur.

Iannes & Iambres.

Nomina sunt Magorum Pharaonis, quorum tamen nomi na in nostris libris non exprimuntur· Lege Exo·7·

Homines mente corr. &c·

Tu uero &c.

Summa est, Meam doctrinam & exemplum imitare in promouendo Euangelio, qui insuper nosti sacras literas, in quibus hæc omnia sunt, & quorum indiget homo Dei ad salutem·

Antiochiæ &c·

Lege in Act· Apostolorum·

Omnes qui uolunt pie.

Nemo hic excipitur· Crux est probatio fidei· Ergo sicut necessario fidei adest charitas, ita & patientia· Sed sicut hæc cedunt pijs in bonum, ita persecutoribus & seductoribus, qui obnituntur ueritati quacunq; tandem specie, cedet in damnationem quicquid egerint·

Sacras literas.

Si hæc uera sunt, quid doctrinis & traditionibus humanis uexaris?

CAPVT IIII·

Adiurat rursum Timotheum, ut omnibus modis undecunque accepta occasione, quocunque tempore pergat exequi, quæ sui sunt muneris, id est, ut prædicet instanter, siue tempestiuam, siue intempestiuam prædicationem, quis iudicet, nihil referre.

Verbum dei sicut personis aut locis nō est alligatum, ita neq; temporibus, Semper uerbo opus est ut credamus et perstemus in tentationibus, quandoquidem semper expectamus Christum uenientem, quacunq; tandem uigilia noctis uenerit. Argue, peccantes, comminare iudicium dei duris, exhortare pios ut pergant, alios ut redeant ad cor. Vides hic mandari prædicationem legis & Euangelij. Lex terret, Euangelium consolatur. Atq; hæc, inquit, agito cum omni μακροθυμίᾳ id est, longanimitate qua patienter feras & non cesses à doctrina si qui mox non credunt, si qui etiam resistunt, forte post crediturі, sicut supra cap. 2. Tolerantem malos &c. Porrò non frustra monet ita uigilare Episcopum. Nam, inquit, tempus erit quando sanam doctrinam non sustinebunt &c. sicut suprà diximus. Hunc populum stultum qui bonos prædicatores eijcit & quærit tales qui prurientibus auribus placeant describit sic Esa. cap. 30. Populus ad iracundiam prouocans est &c.

Nam ipse iam &c.

Alia caussa cur uigilet Timotheus. Nam, inquit, ego amplius huic negocio adesse non potero qui iam impleto meo ministerio sum deo per mortem meam immolandus. Hoc iam per spiritum præcognouit Paulus, quo simul Timotheo & omnibus Episcopis constantiæ & fidei exemplum præscribit, ut, Paulo similiter, munus demandatum exequantur usq; in consummationem uitæ, ut suprà diximus.

Certamen

Certamen bonum.

Non de se, sed de donis dei gloriatur, qui eũ confortauerat ut hæc omnia pficeret, sicut alibi ait, Omnia possum in eo qui me confortat· Quod uero addit, Reposita &c· nihil est quod hic meritum humanum stulte cogites· De eo enim dicit quod sibi repositum est & quod sibi reddendum est à deo, non quod suis meritis debetur· Filius enim erat Paulus & hæres, non seruus mercenarius qui non manet in domo in æternum· Ipse acceperat omnia à deo, scilicet ut ab impietate conuerteretur ad CHRISTVM, fieret Apostolus, ministerium egregie expleret &c· & hæc ipsa dona deus coronabit· Dei sunt nostra merita & dei sunt nostra præmia, et rursum ipsius omnia nostra sunt, quia filij sumus quotquot diligimus Christi aduentum· Cuius aduentum certe impij non diligunt, uellent enim nunquam uenturum &c·

Da operam·

Quædam familiaria scribit·

Alexander *faber ærarius, der* kupfferschmidt·

Duo genera describit illorum qui fauere uidentur Euangelio, sed probantur in tentatione· Nam alij resistunt & incipiunt oppugnare uerbum ueritatis, sicut Alexander, qui ut lupi cauendi sunt, qui suam mercedem apud iustum iudicem inuenient· Alij infirmitate humana occultantur non audentes palàm confiteri quod credunt· Illis hoc ipsum non imputetur, erunt enim per Christum

stum quandoq; fortes qui adhuc imbecilles sunt, ex quorum numero fuerunt qui Paulum deseruerunt cum primum coram Nerone sisteretur, quod tamen tam triste malum cessit in maiorem Christi et Euangelij gloriam seruato eo quem omnes deseruerunt, ut prædicatio Euangelij per eum in gentibus compleretur. De quo nunc gloriatur quod in manu dei perire non possit, dicens: Et eripiet &c.

FINIS.

IN EPISTO-
D. PAVLI AD TITVM
Ioannis Pomerani Annotationes.

HIC Episcopum cui populus docendus commissus est instruit, ut in Epistola ad Timotheum, Atq; interim insigniter per totam Epistolam gratiam Euãgelicam plenis uerbis cõmendat, Euangelijq; libertatem quæ est in Christo IESV domino nostro, nec tacet quos fructus Euangelica fides producat in singulis hominibus erga proximũ in quacunq; conditione siue statu huius uitæ.

Loci insigniores.

Primus, Gratiam Euangelicam ab æterno promissam electis dei (id quod prædestinationis est) sed iam nouissimis temporibus esse manifestatam per Christum Euangelij prædicatione, cap. 1. in inscriptione cap. 2. Apparuit enim gratia &c. cap. 3. At postquam bonitas &c. Atq; hic locus est quoq; in Ephe. & alibi sæpe in Paulo.

Secundus, Qualis sit doctor siue Episcopus & quæ doctrina eius, ut in superioribus Epistolis ad Timotheũ.

Tertius, insignis locus de sanitate fidei siue libertate Christiana contra superstitiones & traditiones hominum auersantium ueritatem, qui dicunt se Christianos & fiduciam quam deo debent, tribuunt operibus, factis

ergo

ergo negant quod ore profitentur cap. 1. Quam ob caussam &c. Quartus, Vt Christiani bonis operibus ad usus necessarios & sobrietate uitæ, ostendant fidem bonam & ornent coram mundo doctrinam saluatoris nostri dei, ut pudefiat aduersarius nihil habens quod nobis iuste obijciat. At hæc agit Paulus à principio secundi capitis usque ad finem Epistolæ. Quintus, Hæreticum, id est, contra uerbum ueritatis, siue, ut uocat, contra sanam doctrinam docentem & sentientem excõmunicandum esse secundum legem à Christo nobis præscriptam Matth. 18. Si peccauerit &c. In fine epist. Sectarum autorem hominem &c.

PAulus seruus.

Nota relinquentes, paucis uideamus quid hæc ditissima huius Epistolæ inscriptio habeat, quæ ita gratiam dei commendat ut nobis uelit eam esse certissimam, quid enĩ prodest multa de gratia audire, scribere, legere, si eam adhuc dubitamus ad nos pertinere? Iccirco ait, Quam deus, qui non mentitur promisit, qui ut non falli, ita neque fallere potest, id quod sic dicitur ad Timotheum, Deus seipsum negare non potest. Et promisit, inquit, ante tempora æterna, ut omnino certi simus quod non solum dilexit nos dum adhuc eramus inimici, sicut dicit ad Roma. 5. sed etiam quando adhuc non eramus. De quo loco prædestinationis uide. Ephe. 1. Hic uides, ut alia

ut alia taceam, quòd Paulus dicit Rom. 11. Quis prior dedit ei & retribuetur ipsi? ut confundantur omnino meritorum illi prædicatores, quid enim meruimus ante mundi constitutionem? sed hæc audiunt ubiq; et uident in scripturis excæcati & non intelligunt secundum iudicium dei, Esa. 6. Verum tametsi hæc gratia æterna sit quia nihil noui est apud deum æternum, tamen nunc demum reuelata est, tempore scilicet prædefinito à patre. Quod cur fecerit nulla caussa nobis spectanda est, quàm beneplacitum siue bona uoluntas eius, sicut uides Ephe. 1. Reuelata est autem, ut ait, per prædicationem non qualemcunq; (nam pseudapostolos & superstitionum & humanarũ traditionum prædicatores condemnat Paulus) sed per prædicationem talem qualis Paulo commissa est, per delegationem saluatoris nostri dei. In quo & suam uocationem iactat, ut solet, ut certi simus eum non suum, sed Christi docere uerbum. Qualis uero Pauli prædicatio sit Epistolæ eius omnes testantur. Alijs prædicationibus quæ non sunt secundum sanam doctrinam domini nostri Iesu Christi non solum obscuratur, sed & obliteratur gratia hæc, sicut factum est, tantum abest ut reueletur. Quid enim gratiam reuelarent, qui in re, ut falsò putant, salutis, nihil nisi operibus uel confidere uel diffidere sciunt? Præterea in hoc loco uides quàm insipienter errent qui gratiam dei, de qua loquuntur scripturæ, per quã solam saluamur, describunt esse habitum in homine siue qualitatem, cum sit fauor potius in deo bene uolente nobis ut filijs.

filijs. Vbi enim quæso erat gratia illa in nobis, quando adhuc mundus non erat conditus? cum uideas Paulum sic dicere Ephes. primo: Dilectos nos reddidit in dilecto filio suo, ante mundi constitutionem. Vide de Gratia & dono in Locis Philippi. Iam quoq; uideamus ea, quæ in hac inscriptione prætermisimus:

Paulus seruus Dei, Apostolus autem IESV Christi, iuxta fidem electorum Dei.

Clarius erit, si non iuxta, sed, ad legeris, sic: Apostolus autem IESV Christi, ad fidem electorum Dei. Id est: Ad hoc Apostolus siue missus prædicator, ut prædicem fidem, non quam quisque pro fide sibi fingat, quemadmodum qui in cogitationibus cordis sui confidunt, & se credere putant, sed ut prædicem fidem, quam habent qui electi sunt à Deo. Hæc fides est, in nulla re, in nullo opere quærere salutem aut confidere, sed de omnibus desperare, & in solo Deo per Christum sperare gratiam & uitam æternam. id quod exponit, dicens: Et agnitionem ueritatis &c. Id est, Apostolus, ad agnitiõem ueritatis: hoc est, ut per me agnoscatur ueritas nõ cuiusuis scientiæ, ut scilicet quòd duo & duo sunt quatuor, & quòd homo est animal rationale &c. sed ut agnoscatur ueritas, quæ est secũdum pietatem, quæ pertinet ad hoc, ut discamus Deo confidere, & proximorum curam agere, id est, quæ pertinet ad fidem & charitatem, ut suprà in Epistola ad Timotheum diximus. Quæ pietas, inquit, est in spe uitæ æternæ, id est, quæ non gloriam, non merita respicit, sed sperat, non quod meruit, sed

quod Deus promisit, nempe, uitam æternam. Nam hoc protinus additur: Quam, inquit, promisit Deus &c. Pietas non hanc uitam respicit, neq; omnia quæ uidentur, in quibus necesse est eam affligi, & omnia mortificari, sed respicit in uitam æternam, & in illa quæ non uidentur. secunda Corinth. quarto.

Germano.

Suprà, Epistola. 1. Timoth.

Iuxta communem fidem.

Id est: Qui Titus est filius meus, q̃ à me fidem didicerit, quam iam & ipse, et ego, communiter habemus &c.

Huius rei gratia.

Quales constituat seniores, siue uerbi Dei prædicatores, qui populo præficiendi sunt, ostendit, ut in omnibus ornetur Dei uerbum, & efficaciter promoueatur, quæ uero huc pertinent, fere diximus in Epistola ad Timotheum.

Luxus.

Vel ebrietatis & crapulæ, cui opponit sobrietatem.

Intractabiles.

Id est, inobediẽtes, qui nullis audiunt bonis ꝑsuasionib.

Non præfractum.

Vel non superbe de se sentientem.

Non percussorem.

Eum significat Græca dictio, qui lingua percutit. Quasi dicas, nõ mordacem, id est, qui ex inuidia feratur in quosuis. 2. Tim. 2. Seruum Dei non oportet pugnare &c. Talia nostri qui increpationes Euangelicas nõ libenter audiunt,

cò referunt

rò referunt, q oportet prædicatorē dicere placentia, contra id quod diximus. 2. Tim. 4. & interim non uident quod hic sequitur: Redarguito illos seueriter.

Temperantem.

Castum. Vides, quòd temperantia & castitas ei quoq; tribuitur, qui habet uxorem. Sic non sentiunt doctrinæ in hypocrisi loquentium mendacium.

Tenacem certi sermonis.

Qui est secundum doctrinam, id est, qui pertinet ad docendum, ne sinat se inde auelli quauis occasione uel contra dictione, uel persuasione. Hoc est, qui certò teneat sermonem, quo populus doceatur. Vt potēs, inquit, sit &c. Hoc est, altera manu ædificare, altera tenere gladium, ut legis in Esdra. Ista duo, siue istā uerbi potentiam qui nō habet, non fiat Episcopus, id est, prædicator. De Christo legis Matth. 7. Ammirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & nō sicut scribæ eorum & Pharisæi. Id est, non frigidū uerbum, aut in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis loquebatur, sed loquebatur uerbum efficax in cordibus hominum, ita, ut cogerentur fateri, hanc doctrinam eße à Deo.

Sunt autem &c.

De pseudapostolis loquitur, de quibus sæpe suprà.

Qui totas domos.

Suprà. 2. Timoth. 3. Qui subeunt in familias &c.

Dixit quidam &c.

Epimenidis Græci poëtæ citat uersiculum contra Cre

tenses. Nostri pseudoprophetæ, quibus docentibus nihil aliud est in ore quàm Aristoteles et quicquid est ethnicum, non putent se hinc probari, quòd Paulus citat ex Ethnico. Nam putant hoc ad sanam doctrinam pertinere, & eam inde confirmari, Paulus uero nihil inde quod ad salutem attinet, docet, sed id quod est indicat contra Cretenses, ex ipsorum testimonio. Deinde subīdicat in ethnicorū scriptis esse mēdacia, cum dicit: Testimonium hoc uerum est &c.

Sani in fide sunt, qui habent fidem electorum Dei, ut suprà dictum, qui nihil ad Dei iustitiam suscipiunt, præter Christum. Alij uestitui, cibo, potui, diebus, ieiunijs, orationibus, ceremonijs, & alijs operibus iustitiam tribuunt, qui his factis negant DEVM, quæ sibi pro Deo erigunt, dum talibus fidunt, & iustitiam tribuunt, quæ soli Deo debetur: qui tamen interim dicunt, Deum esse propitium Patrem, & se ex sola Dei misericordia saluandos. Vide ergo, ut sic intelligas quod dicit: Deum profitentur se scire, factis autem negant. Nam de craßis illis peccatoribus, scortatoribus, adulteris, ebriosis &c. non solum hoc dicit, qui hisce factis neminem seducunt à fide, sed multo amplius, imò solum de illis, qui subuertunt domos Iudaicis fabulis & doctrinis hominum, qui non sustinent ueritatem, sicut manifeste hæc exponit, secunda Timothe. tertio: Habentes speciem pietatis, uim eius abnegantes. Ex his sunt qui subeunt in familias &c.

Omnia pura
puris.

Insignis

Insignis locus, contra doctrinas siue traditiones hominum. Fidelis, cui solum curæ sunt præcepta Dei, utitur omni creatura Dei, quam Deus creauit utendam, non solum sine peccato, sed etiam cum augmento sanctitatis & fidei, quia utendo gratias agit, & magnificat Deum ex puro corde agnoscens pium Patrem & datorem, priori Timoth. quarto. Contrà, impuris, quorum corda non sunt purificata fide, id est, infidelibus, omnes creaturæ sunt impuræ, quia & ipsi sunt impuri in mente & conscientia. Horum uita quia peccatum est, non potest non omnis creaturarum usus eis esse in peccatum. Quid enim munde contrectare potes immundis manibus? Et lex habet: Quicquid tetigerit immundus, immundum erit. Infidelis nullis creaturis recte uti potest, quæ solum creatæ sunt fidelibus ad utendum, id quod ex Geneseos libro non difficile fuerit ostendere, & Paulus confirmat priori Timothe. quarto. Sequitur ergo, quòd in omnibus quoq; operibus peccant, quæ si bona apparent, mera sunt hypocrisis. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est, & non potest arbor mala fructus bonos facere. Sunt, inquit, abominabiles deo, & qui nolunt acquiescere ueritati, quæ damnat eorum hypocrisim & traditiones humanas, & qui ad nullum opus bonum sunt apti, quia sunt arbor mala.

CAPVT II.

Tu uero.

COhæret cum præcedentibus. Alij Iudaicas fabulas, & hominum traditiones, suaq́; somnia docent, in sui & aliorum perditionem, tu doce sanam doctrinam, de qua suprà sæpe diximus. Hic uero uides, sanam doctrinam Christi esse accommodam omni sexui, ætati, conditioni, quando uere sana & integra est: hoc est, quando tractatur à spirituali homine, qui potens sit in uerbo, & quando humanæ doctrinæ diuinis non permiscentur. Si ista quæ hic iubet doceri Paulus, in nostris hominibus uideremus, certe faciem uideremus Ecclesiæ, in gloriam Euangelij sancti. Nunc uero nusquam doctrina est, ergo & nusquam integritas uitæ, sed qualis populus, talis & Episcopus. Christi Ecclesia non est quæ uerbo Christi non regitur. Iudicia nostra, nõ Dei sequimur, ideo iuste perimus. Quæ huc pertinent, etiam alibi sæpe uides in Paulo.

Sani fide sunt, qui fidẽ illam in Deũ per Christum, superstitionib. doctrinis et traditionib. hominũ, in cordibus suis non permiscent, non cedentes alijs doctrinis. Senibus uero hoc præcipitur, non solum quia natura sunt superstitiosi, sed etiam, ut ipsi reliquos sanitatem fidei doceant.

Sani in charitate sunt, qui etiam diligunt inimicos, & orant pro persequentibus.

Sani in patientia sunt, qui perdurant in omni tentatione usque in finem, nullis cedentes aduersis.

Vt honesta doceant.

Vide hic mulierem docere, sed adolescentulas mulieres. Vtrum mulieri docere liceat, alibi dixi.

Adolescentes.

Adolescentes.

Id est, iuuenes uiros, ut sobrij sint. Apud nos crapula & ebrietate pereunt, non solum animis, sed etiam corporibus. Crapula & ebrietate nostra corda grauari, ut non uigilemus ad diem illum Christi, & apparitionem gloriæ magni Dei, testatur Dominus in Luca: Attendite, ne corda &c. Vide, ad quæ mala perducant, quæ nos interim parui facimus.

Temetipsum.

Priori Petri quinto: Forma facti gregis ex animo.

In doctrina, integritatem & honestatem.

Sic ista coniungenda sunt, & subaudiendum uerbum, exhibe, uel serua, uel simile. Et additur:

Sermonem sanum.

Id est, integrum, sicut suprà, doctrinam sanam dixit, irreprehensibilem, quam nemo potest conuincere, ne ex scriptura quidem. Item, contra quem nemo poßit obijcere, quòd non sic uiuas, sicuti doces. Itaque hic duo postrema, duo præcedentia exponunt. Quod enim dixit: In doctrina integritatem, idem dicit: Sermonem sanum, et quod dixit: Grauitatem uel honestatem, idem dicit: sermonem irreprehensibilem, ne quis hic intelligat illam hypocriticam grauitatis speciem, quæ se tantum uendit hominibus.

Rubore.

Sic priori Petri secundo & tertio.

Fidem bonam.

Id est: Fidelitatem.

Apparuit.

Quæ huc pertinent, uide in Postilla D Martini, in nocte natiuitatis Christi.

Omnibus hominibus.

Id est, & Iudæis, & Gentibus, item masculis & fœminis, adolescentibus & senibus, Dominis & seruis, de quibus dixerat. Ideo oportet omnes erudiri, ut omnes Deo digne uiuant, sicut sequitur:

Vt abnegata &c.

Id est, ut mortificatis omnibus quæ ad Adam pertinent, uiuamus noua & spirituali uita secundum Christum, & hoc in præsenti sæculo, non respicientes in ea quæ iam nobis pereunt, & mortificantur in hac uita, sed expectantes illa quæ non uidentur, quæ speramus uentura in aduentu Domini. Sed hic ais: Quomodo poßum abnegare me, ut digne Deo uiuam, ut bonis operibus abundem, ut omnia ista impleam, cum non sint hæc in hominis potestate? Recte tu. In Christo ergo inuenis quod in te non habes, modo ipsum habeas per fidem, id quod Paulus hic sic occupat:

Qui dedit semetipsum &c.

Cū omni præcipiendi studio, siue cū omni eo qđ potes.

Nemo.

Id est: Sic uiue & doce, ut nemo te iure contemnere poßit, ne quis hic intelligat contra Euangelium, Episcopo uindicandum eße in eos qui ipsum contemnunt.

CAPVT III.

Principibus

PRincipibus, potestatibus & magistratibus parendum est in omnibus quæ non sunt contra deum, id est, in quibus tu non peccas contra sanam conscientiam, ut maxime illi peccent exigendo quædam. Sicut Hieremias uoluit ut se subderent sponte regi Chaldæorum Iudæi. Placet enim deo quandoq; per talia nostra punire peccata, & quando grauem tyrannidem patienter ferimus, melius habemus deo ubiq; nobis præsente, sicut ueterum exempla docent &c. Sic sine peccato Christiani obediunt Turcis. Principes boni si alicubi sunt, duplici honore digni sunt. Mali uero si sunt, tamen eis parẽdum, nisi quando contra deum præcipiunt, hic dicẽdum, Oportet magis obedire deo quàm hominibus. Ideoq; Paulus subdit, Vt ad omne opus bonum sint parati &c.

Maledicant.

Siue de principibus siue de alijs hominibus.

Pugnaces.

Siue contentiosi siue contra principes siue alios. Hoc est in primis contra illos qui per hoc Euangelici uolunt uideri & contendunt contra quosuis nulla humanitate aut mansuetudine, & effundunt protinus quicquid habent in corde & ea quæ uel nihil ad rem Christi faciunt uel talia sunt à quibus non sit incipiendum, & hoc faciunt coram hominibus quibus nondum est Euangelium prædicatum, nihil efficiẽtes præter quàm quod inde scandalizati alij, doctrinam Euangelicam blasphemant &c. Cur non compatimur potius infirmis & peccatoribus,

qui ipsi fuimus stulti, inobedientes, errantes &c. sed nũc bonitate dei non ex nostra iustitia per Christum liberati? Cur non sic agimus cum illis sicut tunc uolebamus agi nobiscum. Cur nõ speramus eandem eis gratiam uenturam quando deus uoluerit? Quid gloriamur quasi non acceperimus? &c. Hæc dicit hic Paulus usq; ad eum locũ. Indubitatus sermo &c. Lege in postilla D. Martini, in nocte natiuitatis Christi.

Per lauacrum

Vide ne solam aquam cogites. De baptismo spiritus & ignis loquitur, de quo dixi Esa. 4. & alibi.

Quem effudit in nos abunde.

Ita ut nihil desit nobis in ulla gratia habentibus Christum. Qui Christi spiritum non habet non est Christianus. Abunde dat spiritum, dum per spiritum reuelat omnem ueritatem, id est, omnia quæ nostra scire refert ad salutem. Et præterea reliqua dona spiritus dat uel nobis uel fratribus in utilitatem nostram. Sicut ad Corin. dicit, Vnicuiq; datur &c.

Iuxta uel secundum spem uel ad spem.

Indubitatus sermo. Scilicet est is quem dixi.

Vt bonis operibus.

Vt præeant alijs lucis exemplo. Vide hic in Paulo quæ bona opera uelit, nẽpe, illa quæ fiunt ex fide: Vt, inquit, bonis operibus præsint qui crediderunt deo & talia bona opera uult quæ sunt honesta & utilia hominibus, & sicut infrà dicit, quæ ualeãt ad usus necessarios: Hæc non

sunt

sunt opera papistica, sed opera charitatis in proximum, ad quæ fides quæ in corde uiget sua natura urget, & sua sponte ea producit, sciens hæc quæ facit proximo secundum uerbum dei deo placere. Arbor bona non potest esse infrugifera, sed dabit fructum suum in tempore suo.

Stultas autem.

Vide in epist. Tim. Doce, inquit, utilia, id est, fidem et charitatem & patientiam. Quæ uero ad contentiones pertinent, etiā si ex sacris literis uideantur, respue. Quæ manifeste non sunt prodita, libenter ignorare debemus: Contentione & fidem & charitatem lædimus &c.

Sectarum autorem.

Id est, qui alias uias sequitur & sequi docet quā sanā doctrinam & illam unicā fidei iustitiā, nec monitus sanis Christi uerbis resipiscere uult, iudica secundū Euangeliū Math. 18. donec resipiscat, ut confundatur nō ut inimicus &c. 2 Thessa. 3. Habes hic hæreticos, id est, illos qui uerbū dei contemnentes sectas faciunt et separant se quasi meliores, nec uerbis dei moniti resipiscere uolunt, esse excommunicandos & habendos non Christianos, sed sicut ethnicos & publicanos, quales sunt omnes qui Euangelium deseruerunt & perfectiores uias inuenerūt præter omne dei uerbum, qui hodie egregiam gratiam rependentes uocant hæreticos eos qui Euangelio adhærent, & eos occidere tentant ut ueniat sanguis Christi & omnium iustorum occisorum super ipsos. Deus illuminet corda omnium, Amen.

IN EPISTO.

D. PAVLI AD PHILEMO- nem Ioannis Pomerani Annotationes.

EGregium hic in Paulo uides charitatis exemplum, qui tanto studio commendat seruum fugitiuum, ut Onesimus ipse factus uideatur. Nec tamen cum poßet, autoritate urget Philemonem, sed precibus & Christianis persuasionibus, cedens iure suo, ut & ipse Philemon cogatur non sua sed quæ charitatis sunt intueri. Sic enim oportet nos exinaniri pro fratribus, sicut Christus exinaniuit se pro nobis &c. Philip. 2.

PAulus uinctus IESV Christi.

Vides quàm multa argumenta pro fratre inuenit uera charitas, quæ credo Paulum pro seipso in simili causa non fuisse scripturum. Sunt qui hic Pauli modestiam & humanitatem commendant & uere, sed quo fonte hæc fluant nobis imprimis uidendum est. Fides namq; quæ uiuebat in pectore non potuit talia non producere in externo opere, ut scias fidem ueram sine operibus bonis non esse. Opera autem bona uocat scriptura officia charitatis pro-

tis proximo exhibita, quæ fluunt ex uno opere quod est omnium operum summum, nempe opus Dei, quæ est fides in Christum. Ioan. 6.

Vinctus.

Hic non iam titulos sui apostolatus, ut solet, scribit. Non enim iam officium facit Apostoli ut persuadeat suam à Deo esse prædicationem. Sed suæ autoritatis hic oblitus fratrem se esse tantum meminit, qu. di. Non Apostoli siue doctoris, sed Christiani hominis nunc ago officiū. Et primum ad rem facit quàm maxime quod se uinctum dicit, ut non despiciatur eius obsecratio, qui pro Euangelio detinetur in uinculis, sicut infrà dicit. Nunc autem etiā uīctus Iesu Christi. Itē, ut nō despiciatur dū orat p eo quē genuit Christo in uīculis, Itē p eo, q seruiuit ipsi ī uīculis, id q ipse Phile. fecißet si adfuißet, tantū abest ut indignari debeat hoc seruū feciße, imò gaudere debet p seruū suū hoc beneficium Paulo accesßisse, quemadmodū hæc omnia infrà dicuntur. Item, ut Christianus Philemon non addat afflicto Paulo afflictionem, si non exaudiat & despiciat tanto studio obsecrantem non iam pro seruo, sed pro fratre, id quod infrà dicit: Refocilla mea uiscera in Domino. Deinde & Timotheum addit, ne solus hoc precari uideatur, & ut magis duorum ualeat obsecratio Præterea Philemonem adiutorem suum facit in hac inscriptione & consortem, ne non uelit quod ipse Paulus uult, quid enim diuersis animis inter ipsos conueniret? quod sic infrà dicit: Si igitur me habes consortem suscipe illum tanquam

me.

me. Adhæc, non solum inscribit epistolam Philemoni, sed et Aphiæ, ut puto, uxori, & Archippo Episcopo, & toti ecclesiæ quæ in domo est Philemonis, ut si quid minus apud unum ualebit precatio, ualitura sit, uel multis forte comprecaturis. Quid enim Christianus negare poterit Christianis Christiane rogantibus, & id rogantibus quod ipse etiam non rogatus debet secundum Euãgeliũ?

In domo tua ó Philemon.

Gratias ago.

A gratulatione more suo incipit.

Charitatem ac fidem.

Redde singula singulis, fidem erga Dominum Iesum. Charitatem erga omnes sanctos, id est, credentes. Sic enĩ sancti in scripturis appellantur, credentes qui nobiscum uersantur in terris qui indigent mutua ope &c.

Vt communicatio fidei tuæ.

Id est, ut communis fides tua, id est, quam tu & nos habemus, fiat efficax in agnitione omnis boni quod est in uobis erga Christum Iesum, id est, eó crescat & proueatur ut agnoscatis omne bonum quod uobis per Christũ contigit. Eandem enim sententiam puto, quam sæpe scribit Paulus, ut Ephe. 1. Vt, inquit, Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ &c. Vide illic. Et alibi, ut sciatis quæ per Christum donata sunt uobis.

Gaudium enim &c.

Sic quod præcessit coniungendũ est. Gratias ago &c. quare?

quare?ut communicatio &c. Rursum gratias ago, quia gaudium habemus multum &c. Christiana charitas iugiter orat pro illuminatione aliorũ, et de profectu gaudet.

Quod uiscera.

Id est, quod magnæ consolationi fuisti sanctis egentibus ipsis necessaria præstando.

Quapropter.

Hactenus præmolliuit non adulatione Christiana ueritate, nunc rem ipsam aggreditur: Onesimus seruus fugerat dominum suum Philemonem, is Romæ audito Paulo qui uinctus fuerat conuersus ẽ ad Christum, quem Paulus hac epistola remittit ad herum.

Quapropter.

Id est, quia ita benefacis ex fide omnibus sanctis, non posset fieri ut sperneres meum mandatum si mandarẽ, id quod te debere agnoscis. Non mando autem, sed propter charitatem potius rogo, nolens uti mea autoritate, autoritate, inquam, quod sum Paulus senex & præterea uinctus Iesu Christi, qu. di. uel ipsa submissio mea te moueat, ut tuo quoq; iure cedas.

Rogo autem pro filio meo, non dicit seruo tuo, ut etiam non tam seruum quam ipsum Paulum recipere uideatur Philemon, quod filio sit, pater sibi factũ iudicat. Quẽ, inquit, genui in uinculis, ut scias mihi eum ideo chariorem quod in angustia & periculo mortis eum genuerĩ, sicut mulieres plus diligunt filios quos maiori dolore & periculo enixæ sunt.

Quondam

Quondam.

Argumenta ab utili. Antea fuit infidelis tibi, negligens operæ, forte & aliquid furatus. Nunc autem fides talia ei non permittet etc. Addit uero ut rem augeat. Tibi & mihi perutili. Et alludit ad nomen serui. Onesimus enĩ utilis græcis dicitur, qu. di. Hactenus non recte Onesimus dictus est &c.

Mea uiscera.

Suprà filium dixit, ut uel hinc uideas hoc uelle Paulum, se in Onesimo suscipi.

Quem ego cup.

Ego, *inquit, plus tua commoda remittendo seruum respicio, quàm mea, imò non mea.*

Pro te.

Id *est, quod tu faceres si mihi adesses.*

Ne uelut ex necessitate.

Quod hinc liberum arbitrium asserunt stultum est, quasi ad hoc necesse fuerit mittere Onesimum, ut Philemon haberet remittendi liberum arbitrium. Sententia est potius quòd bona opera oportet uenire ex libero animo, libero dico per spiritum fidei. Sine quo spiritu quicquid facis peccatum est. Cor requirit Deus non opus. Quicquid non est ex fide peccatum est.

Nam propterea.

Vtilem *quoq; fuisse serui fugam probat. Nam fugæ occasione audiuit* Euangelium Romæ *& credidit.* Ita electis *omnia cooperantur in bonum etiam mala, Deo sic*

mirabiliter

mirabiliter operante, & ita ut ab humana ratione nequa quam intelligi possit, aut ab humano iudicio, quo ducat Deus.

Secessit.

Scilicet à te.

Aeternum.

Id est, spiritualem, cum deo tecũ in æternum uicturũ.

Quanto magis tibi.

Scilicet dilectum, & in carne, quia seruus tuus est, & in domino, quia frater tuus est & filius Dei.

Quod si quid læsit.

Id est, aliquid damni tibi intulit, siue furatus est. Omnia occupat Paulus, ne Philemon neget, quod petitur.

Ego dependam.

Id est, pro ipso tibi reddam, quod debet, atque in hoc habes hic meum chirographum.

Vt ne dicam.

Non multum est, si debitum serui, quod modo mihi asscribo & meum facio, mihi donaueris, ut non cogar tibi soluere siue reddere, qui non solum alioqui mihi hoc debes, sed teipsum, quantus quantus es. Hic significat Paulus, non solum quod Christianus pro Christiano debet totum, quod ipse est, sed etiam quòd Philemon eius prædicatione conuersus fuerat &c.

Etiam.

Affirmantis. Sicut Mat. 11. Etiam pater &c.

Ego te fruar.

Fac, ut de te gaudeam per dominum· Idem est quod sequitur, Refocilla &c· id est, esto mihi consolationi per dominum· Per Dominum, siue in domino addit, ut significet se nihil aliud petere, quàm quod per Dominum non solum licet, sed etiam fieri debet·

Confisus &c.

Quis quæso oratorum in hac causa magis efficacibus uti potuisset persuasionibus & argumentis?

Simul autem.

Hactenus pro Onesimo, nunc quædam familiaria scribit·

Finis·

In

IN EPISTO-

AD HEBRAEOS IO
an nis Pomerani Annotationes.

P Aulum non scripsiße hanc epistolam, uel ex secundo capite palam est, ubi dicit se didicisse ex prædicatione aliorum, & ex ostensione miraculorum Euangelium Christi, id quod fortiter Paul. de se negat Gal. 1.

Argumentum & loci huius epistolæ.

Quia scribit Hebræis, quibus post Deum nihil sanctius erat Moise, & quicquid Legis erat. Idcirco qui ex eis ad Christum conuersi erant, ne ob persecutiones, quas à suis Iudæis patiebantur, deficerent rursum à Christo ad Moisen, quæ esset insignis in Deum blasphemia, audiunt ex scripturis sanctis, Christum, non solum Moise, sed etiam Angelis, per quos ille Legem accepit, longe esse superiorem, licet propter nos ad breue tempus in passione factus sit angelis inferior, secundum illud Psalmi: Minuisti eum &c. Ideoque hoc infert. Si quæ per angelos & Moisen data sunt, non potuerunt sine ultione Dei contemni, multo minus inultũ erit, si quis contempscrit Christi sermonem, postquã etiã præmoniti sumus per psalmũ:

Hodie, inquit, si uocem eius audieritis &c. ubi data occasione, indicat sabbatum illud Christianorum, capite quarto. Præterea audiunt Sacerdotium ueteris legis & sacrificia & reliqua sacra, sacerdotio Christi & sacrificio semel in cruce oblato & altari & templo inuisibili, nequaquam conferenda, atque adeo illa ut figuras in his, ut in ueritate iam exhibita cessasse. Atque hæc de Christi pontificatu ex scripturis dignissime, non sine magna conscientiarum nostrarum consolatione tractat à cap. 7. usq; ad. 11. Porrò. 11. capite fidem egregie commendat ex scripturarum exemplis. Deinde usq; in finem ad patientiam & Christianos mores hortatur.

Caussa quare scripserit autor epistolam, ex ipsius uerbis deprehenditur. Nam timuit eis, ne superati tentationibus & afflictionibus, siue penuria ad infidelitatem relaberentur. Vnde admonet capite decimo: Rememoramini &c. & 12. Recogitate &c. Atq; huc pertinent illi loci, in quibus uidetur negare pœnitentiam post agnitam ueritatem relapsis Primus locus est cap. 6. Impoßibile est eos &c. Secundus cap. 10. Voluntarie enim &c. Tertius cap. 12. Non enim inuenit &c. quos locos suo loco uidebimus ex ipso textu, quid habeant.

CAPVT I.

QVa ratione, quóue consilio incipiat à gloria Christi suprà in argumento diximus. Tacet interim de

Mose

Mose & ijs, quæ legis sunt, ne in ipsis foribus offendat Hebræorum aures, utitur uero scripturis, quas Iudæi contemnere non possunt, quibus probat Christum, siue eius diuinitatem, siue eius humanitatem respicias, tamen omnibus creaturis eße superiorem, etiam angelis, quandoquidem nomina habet, quæ ad angelos non pertinent.

Deus olim &c.

Deus semper egit cum populo suo per uerbum suum. Non igitur nunc nouum Deum prædicamus, sed eundem, uerum qui tunc per Prophetas & seruos, nunc multo dignius loquutur nobis per filium, qui est dominus non solũ patrum & Prophetarum, sed etiam omnium.

Multifariam.

Id est, diuersis temporibus.

Multis modis.

Id est, nunc apertis uerbis, nunc figuris, alijsq; reuelationibus.

Extremis.

Post quos non est expectanda alia uerbi missio usq; in finem mundi.

Diebus hisce.

In quibus iam sumus. Ne Iudæi dicant, extremos illos dies nondum uenisse, idcirco expectandum adhuc Meßiam. Nouißima eße tempora Christiana dixi Esaiæ secundo, & alibi.

Per filium.

Christus secundum diuinitatem natura est filius dei, se

cundmu humanitatem adoptione est filius Dei, quæ adoptio completa est in eius resurrectione, sicut & nostra complebitur, ut dicitur Roma. 8. Iccirco ipse dicitur primogenitus in multis fratribus, ibidem, & primogenitus ex mortuis Col. 1 & Apoc. 1. iccirco etiam Paulus Act. 13. de Christi resurrectione citat illud: Ego hodie genui te. Id quod ad nullum unquam angelorum dictum est, quanquam de Christi diuinitate soleamus hoc interpretari, de qua re uide postillam D. Martini: Et certe quod sequitur: Quem constituit hæredem uniuersorum, ad Christi humanitatem pertinet, sicut & in sequentibus declarat ex psal. Omnia subiecisti sub &c. Et ipse dixit Matth. ult. Data est mihi &c. Hinc consequitur, omnes quotquot sunt in Christo, esse per Christum hæredes omniū, hæredes Dei, cohæredes Christi, nā & sequenti capite fratrē nostrū facit Christum, non angelorū, qui hic ministri nostri uocantur. Hæc est inæstimabilis nostra dignitas, modo credamus, nā fides nos ita glorificat &c. Ad diuinitatē uero ꝑtinere, qđ dicitur: Per quem fecit & sæcula, quis non uidet? id quod legis Gen 1. & Ioan. 1. Col. 1. &c. Hinc rursū consequitur, ꝙ nemo in regno Christi perire potest, qui omnia condidit deus omnipotens. Ex prædictis non erit necesse, ut duos filios facias, nam Deus & homo in Christo una persona sunt, sed tamen duæ naturæ. Vnde in scripturis necesse est, ut prudenter discernas, quæ ad Christi diuinitatem, & quæ ad eius humanitatem pertinent &c.

Qui cum sit splendor.

Diuersam

Diuersam à patre personam notat filium in diuinitate. Deus est gloria, filius est splendor huius gloriæ, immo est gloria gloriæ patris, per omnia patri similis, non alterius substantiæ, sed eiusdem & substantiæ & naturæ, id quod additur. Expressa imago non faciei, sed substantiæ illius. Iccirco Christus est omnipotentia patris, sapiẽtia patris, iustitia patris &c. à patre quidem genitus, sed tamen naturalis deus, ut pater atque adeo cum patre unus Deus, id quod sequitur: Modereturq́;, uel potius: Portetq́; omnia uerbo potentiæ suæ, id est, per seipsum, qui est uerbum, quo omnia fiunt, & omnia conseruantur & disponũtur, sicut dicit: Pater meus usque modo operatur & ego operor. Quid prodesset per ipsum omnia esse cõdita, nisi omnia per ipsum quoq; conseruarentur & gubernarentur? In Christo igitur est tota diuinitas, & ipsius est omnis gloria Dei: in Christo nos patrem agnoscimus, quia ipse est splendor, gloria & imago substantiæ patris, agnoscimus autem per uerbum eius, modo spiritus eius nos docuerit: in facie Christi iam uidemus gloriam Dei, non in facie Moisi, ut est in epi. Corinth.

Per semetipsum purgatione &c.

Magna dignatio tantæ, quæ iã descripta est, maiestatis, quòd seipsum exinaniuit nobis seruiens in peccatis nostris, ut ea purgaret, factus patri obediens &c. Phil. 2.

Consedit &c.

Id quod ad Philipp. quoq; sic dicitur, propter quod et deus exaltauit illũ etc. Hic caue, ne sic cogites cũ impijs, quòd

Christus semel peccata abstulerit, & deinde nostris satis factionibus alia commiserit auferenda, id quod est negare Christum & omnia quæ hic dicuntur &c.

Tanto præstantior.

Qui infra angelos erat deiectus, quia purgabat nostra peccata, ut infrà uidebimus.

Iam uero usq; ad finem capitis ostendit ex scripturis longe excellentius nomen, quàm angelos Christum habere. Sicut ait Paulus, Dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Filius meus. *Psal.2.*

Ego ero &c.

2.Reg.7. *Psal.88. in psalmo clarum est: in Regum libro aperte quoq; dicitur. Postquam dormieris &c. Vide postillam* D. Martini. *Et cum iterum, id est, in secundo aduentu, introducit &c. Acto.1. Hic Iesus qui aßumptus &c. Hic dominus angelorum est, & Deus uerus, qui ab angelis adoratur, psal.96.*

Ad angelos.

Vel de angelis, psal.103.

Angelos facit spiritus, id est, spirituales creaturas, & flammam ignis, id est, igneæ naturæ & uelocißimæ, sed non loquitur eis. Filius meus es tu &c. immo hunc filium adorant.

Ad filium. *Psal.44. Hic Deus appellatur à deo et tamẽ secundũ humanitatẽ unctus dicitur spiritu sãcto, sed præ participibus suis, ut sit ipse primogenitus ĩ multis fratrib.*

Et

Et tu initio.

Psal. 101 Hæc ad illum deum dicuntur, de quo in eodē psal. præmittitur, qui aßumpta carne prospexit de excelso sancto suo, ut solueret filios mortis &c.

Sede.

Psalmo. 109.

Administratorij.

Vide quæ dixi psal. 90 Quoniam angelis &c. Angeli qui Christum iubentur adorare, tantum abest, ut Christo præferantur, uel æquales sint, ut etiam nostri serui & ministri sint, qui sumus in Christo.

CAPVT II.

EX prædictis sic argumentatur. Si Lex, quæ per angelos data est, sicut & Stephanus dicit Act. 7. non potuit contemni sine ultione Dei, multo minus ultionem Dei euadet, qui contempserit uerbum nobis missum per filium, cui ne angeli quidem conferri possunt etc. Id quod sic & ipse Moises uerbis Dei de Christo prædixit Deut. 18. Qui uerba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. Ad quod Christus uidetur respexisse, cū dixit in Ioanne: Est qui accusat uos Moises, in quo speratis &c.

Perfluamus. *Scilicet non ualentes retinere uerba uitæ per filium nobis missa. Vel diffluamus, uacillantes nunc huc, nunc illuc, moti omni uento doctrinæ, Ephe. 4.*

Quæ cum narrari.

Significat autor se didicisse Euangelium ab alijs prædicantibus & miracula facientibus, ut suprà diximus.

Distributionibus.

1. Corint. 12. Diuidens singulis, pro ut uult.

Non enim angelis.

Alia probatione ostendit Christum longe superiorem angelis. Christum inquam, etiam secundum humanitatē, ex psalmo octauo, ex quo loco simul occupat, quod ab Hebræis obijci potuisset. Nos uidimus eum despectum et nouissimum utrorum &c. Esa. 53 Hoc inquit, ad breue tempus passionis erat propter nos &c. Nam mox gloria & honore coronatus est & constitutus super omnia &c.

Orbem terræ futurum.

Significat regnum Christi, quod prædicabatur futurum, longe dignius omnibus mundi regnis, sicut Esaias eum uocat, patrem futuri sæculi. Et cum regnum Christi sit spirituale, omnes creaturæ Christo & ijs qui sunt in Christo, subiectæ sunt in spiritu, omnes enim seruiunt nobis in salutem, etiam oues, boues, pisces, præterea mors, peccatum & inferi. Quod uero nondū uides omnia subiecta, caussa est, quia hæc à carne non uidentur quæ pertinent ad regnum Christi spirituale, quod consistit in fide, & spe: expecta, uidebis, quando ponet pater inimicos Christi omnes sub pedes eius.

Docebat &c.

Hoc est quod Christus dixit, Oportebat Christum pati,

& resurgere & ita intrare in gloriam suam, non solum, quia hoc scriptura prædixerat, sed etiam quia aliter nobis similis fieri non potuit, quem scriptura uocat fratrem nostrum, in quo præcellimus angelis. Ex quo sequitur rursum abolita quæ per angelos tradita sunt, & tantum abesse ut angeli præferantur Christo uel prophetæ, ut etiam homines mortales qui sunt in Christo habeant quod glorientur supra angelos &c.

Docebant eum.

Id est, deum patrem, propter quem sunt omnia, id est, qui sola bonitate sua condidit omnia nō habens aliam causam, & per quem sunt omnia quia sine eo non essent. Intellige hæc de deo dici patre & filio & spiritusancto, nā quæ hic dicuntur de Christo de eius humanitate dicuntur. Docebat, inquam, eum, ut qui multos filios, id est, credentes in gloriam adduxerat scilicet olim, & post usq; ad finem mundi secundum prædestinationem, adduxerat uero per ignominiam mundi & non alia uia, quid quæso docebat eum? nempe ut non alia uia glorificaret principem & ducem eorum Christum. Quandoquidem qui suo sanguine sanctificat credentes & qui credentes sanctificantur, sunt omnes ex uno scilicet Adam, id est, carnis & sanguinis secundum corpus simul participes sunt. Ergo frater noster Christus &c.

Annunciabo &c.

Psal. 21. Ioan. 20.

Ego ero. Psal. 17.

Ecce

Ecce ego. Esa. 8.

Pueri.

Ex Heb. filij Sunt autē discipuli CHRISTI. iam eius fratres.

Eorundem.

Scilicet puerorum, uel carnis & sanguinis.

Vt per mortem.

Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi &c.

Liberos.

Vide hic libertatem Christianam abrogata per Christum lege, sub qua metu mortis seruiebatur, attamen incertæ manebant conscientiæ, quia nunquam legi satisfacere potuerunt. Timebant ergo non solum mortem corporis, sed etiam æternam, sicut experti sumus & nos quando uolumus stulte per opera iustificari. Hoc est quod Petrus dicit in Act. Onus legis neq; nos neq; patres nostri portare potuimus. Coniungit uero mortis imperium & imperiū legis. Nam ut dicitur 1. Corin. 15. Stimulus mortis peccatum est. Virtus uero peccati lex. De abrogatione legis scribit Paulus Ephe. secundo, & alibi sæpe. Vide locos Philippi.

Assumit.

Scilicet quando uult cū creatura eadem natura uniri.

Vt misericors.

Vt experientia doctus fideliter curaret suum pontificium apud patrem pro nostris infirmitatibus & peccatis et tentationib. Sed de his in sequentib. plura, uide ca. 8.

CAPVT III.

CVm itaq; certum sit Christum in carnem nobis missum ut esset noster Apostolus, id est, doctor, et Pōtifex, id est, inter deum et hominem mediator, sicut post dicemus, consideremus eum, ut à uoce & doctrina eius non deflectamus, ne per infidelitatem non introeamus in regnum cælorum quod est sabbatum illud sanctum, sicut olim qui in deserto perierunt non potuerunt propter incredulitatem ingredi in terram promissam. Num. 14. Hic nihil uerendum nobis ne hic Apostolus & Pontifex non sit fidelis ei qui eum misit & constituit iureiurando pontificem, id est, deo. Hoc est ne quid egerit quod non fuerit ei à deo commissum, sicut loquitur Ioan. 12. et alibi sæpe. Nam ut Moises omnia (sicut sæpe scribitur in lege eius) faciebat omniaq; docebat secundum uerbum domini, ita & Christus, sed hic longe maiore gloria insignis est præ Moise, tametsi enim uterq; fidelis fuit mittenti deo, ut non alia curaret in domo dei, id est, Ecclesia credentium quàm commissum erat à deo, tamen Moises seruus tantum erat, ille etiam filius. Moises pars domus dei, ille autem dominus & hæres domus imò & ædificator, hoc est, eiusdem domus creator. Atque hic aperte extollit Christum supra Moisen quod à principio egit latentius, ut iam deinde reliqua per Moisen tradita ostendat ex scripturis in Christo esse cōpleta, & non iam Moisen legisq; pontificium amplius requirendum ubi hæredem

dem filium accepimus & sacerdotem æternum &c.

Substantiæ.

Id est, rei quæ pertinet ad Christum, hoc est, illorum quæ spectant ad Christi fidem.

CAPVT IIII.

COhæret cum præcedentibus, & præterea occasione accepta ex psalmo ostendit aliud sabbatum esse credentium quàm illud septimæ diei, hoc exterius singulis septimanis ab impijs etiã agebatur, illud tantum pij etiam à mundi exordio nouerunt, in quod nunquam ingressi sunt increduli, non enim introire possunt. Nam ubi optimi uidentur, suis iustificari operibus quærũt, id quod ex diametro pugnat cum sabbato dei. Pij uero ingressi in hoc sabbatum, cessant ab omnibus operibus suis, sicut deus cessauit ob omni opere suo, ut sinant uerbum quo iam iterum conditi sunt & noua creatura facti, iam deinde in se agere efficaciter, secũdum omnem suam uoluntatem, non ipsorum, sicut deus permisit suum uerbum quo omnia condidit deinceps agere in creaturis uim & efficaciam illis in creatione indutam, id quod est cessare & tamen semper operari, sicut Christus dicit: Pater meus usq; modo operatur & ego operor. Qui ergo uere credunt, id est, in solo deo hærent & prorsus in nulla re mundi nullaq; iustitia aut meritis humanis fidunt, sabbatum hoc habẽt deo sanctificatum, quod continue agitur &

tur & æternum est, de quo Esa. 58. Requiem dabit tibi dominus deus tuus semper &c. Si auerteris à sabbato pedem tuum &c. Et cap. ult. Erit sabbatum ex sabbato & calendæ ex calendis &c. Id est festum & sabbatum erit perpetuum. Dura uero sententia est & metuenda, quod qui tentauerunt sæpe deum increduli, iuramento dei prohibiti sunt ne ingrederentur in requiem eius, id est, irreuocabili sententia excæcati sunt ut resipiscere deinde nequiuerint.

Licet operibus &c.

Vt non possit hoc quod de requie dicitur intelligi de sabbato septimæ diei, nemo uero ignorat de terra promissa esse dictum. Et præterea quis non uidet neq; de sabbato septimæ diei neq; de terra promissa nos moneri in Dauide, ne obduremus corda ad uocem domini, sicut illi, ne similiter non ingrediamur in requiem dei sicut illi? Nam quando Dauid scribebat, iam in terra illa promissa erant. Tres requies, ut ita dicam, hic uides, requiem septimæ diei, à laboribus: requiem in terra promissa ab aduersarijs: requiem in regno cælorum quæ est uere credentium & uera requies, quæ perficietur in resurrectione nouissima. Interim hæc caro molesta est & urget ad pugnam, sicut tunc relictæ gentes in terra promissionis exercitabant illum populum ad prælia &c.

Viuus est enim &c.

Ratio est præcedentium ne simili incredulitatis exemplo ut illi pereamus. Hæc uerba solent uulgo citare de

gratia

gratia uerbi dei, sed certe sunt horrendissima, sicut experti sunt qui non potuerunt ingredi in requiem promissam. Nu. 24. ubi dicitur, Luxit populus nimis, quam pœnam uerbi dei iudicantis sentient in æternum damnati. Sentiunt & sancti ad tempus in horrore iudiciorum dei derelicti. Hinc sunt illæ uoces in psalmis: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ &c. Conturbata sunt oĩa ossa mea &c. Hic conscientia deuicta iudicium uerbi dei sentit supra se & æternam damnationem, dumq; nihil consilij habet animus, sed omnia desperatiõis plena sunt, necesse est & ossa tremere & corpus perire omnesq; uires & corporis & animæ languere & à se separari. Siquidem horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Sed non derelinquit pius pater suos in hoc tam horrendo inferno. Hinc sunt rursum illæ uoces gratiarum actionis de liberatione: Erubescant & conturbentur uehementer omnes inimici &c. Saluasti me à descendentibus in lacum &c.

Sermo dei.

Scilicet quem loquitur contra incredulos, sicut contra quos iurauit ut non introirent in requiem eius &c. Viuus est non mortua litera, & efficax, id est, efficiens quod iurat &c. non ergo contemnendus est, sed timendum est ad dei iudicia. Atq; sic terret sæpe hæc Epistola.

CAPVT V.

QVia de pontificio Christi cœperat, sed data occasione, interim interpretatus est uerba Psalmi: Hodie si uocem eius &c. reuertitur, dicens:

Habentes igitur &c.

Iccirco ab hoc loco recte auspicamur caput. Principio uero hoc agit, ne, quia tanta dignitate & excellentia suprà Christus descriptus est, fugiamus ab eo nostræ infirmitatis conscij & peccatorum, quandoquidem & ipse tentatus est, & imminutus ab Angelis ad paruum tempus, sicut suprà dictum, ut fieret misericors &c. Itaq; deiectio Christi nobis facit adeundi fiduciam, cum sciamus eum propter nos deiectum: potentia uero facit perseuerandi fiduciam, quòd scilicet nemo potest ex manibus eius rapere.

Thronum gratiæ.

Roma. tertio. Propitiatorem. Exo. uigesimoquinto.

Penetrauit.

Infrà capite sexto & octauo. Alludit enim ad introitum Pontificis in sancta sanctorum semel in anno, non sine sanguine &c.

Nam omnis Pontifex &c.

De sacerdotio Leuitico lege Exodi uigesimooctauo, usque ad finem libri & totum Leuiticum.

Pontificis secundum legem olim erat officium, mediare inter Deum & hominem, id quod fit doctrina & oratione. Porrò, ad orationem quoque pertinet sacrificium, sed ista mediatio carnalibus figuris agebatur, usque ad uerum Pontificem Christum. Nam carnali oleo ungeban-

tur tunc Pontifices: docebant quidem, sed spiritum, quo omnia intelliguntur & seruantur, non dabant. Orabant, sed propter se non exaudiebantur. Sacrificabant pro peccatis, sed non seipsos, quia peccatores erant. Sacrificabant autem carnales Pontifices, sed tamen à Deo ad hoc electi, carnalia sacrificia, non secundum adinuentiones suas, sed secundum Dei præscriptum, sicut uidemus in lege Moisi. Et illi non solum infirmi erant, sed etiam mortales, quorum cum uita sacerdotium expirauit. IESVS autem unctus spiritu sancto, à Deo Patre, iureiurando factus est Sacerdos & Pontifex in æternum, qui cum suo uerbo spiritum donat in corda credentium, qui pro sua apud Patrem reuerentia exauditus est, quando sacrificabat semel in cruce sacrificium seipsum, quo in æternum sanctificamur, qui non indiget orare pro peccatis suis. Pro nostris uero semper aßistit uultui Patris per sanguinem suum semel oblatum, ingreßus in sancta sanctorum, hostia digna Deo, in odorem suauitatis, sicut dicit lex. Vides igitur hic nihil dici de Pontificibus & Sacerdotibus, qui hodie sic uocantur, sed ostendit illud sacerdotium carnale secundum legem, figuram fuiße sacerdotij æterni, quod in Christo completum est, sicut & regnum illud carnale in Christo completum, utrumque spirituale factum, non iam amplius externum & uisibile. Sacerdotium uero Christi non futurum externum secundum legem, ostensum est in sacerdotio Melchizedec, de quo spiritus sanctus in Dauide sic dicit: Iurauit Dominus, & non pœnitebit &c. de

quo infrà

quo infrà plura. Non est maior consolatio nobis, quàm est in sacerdotio Christi. Sacerdos est & Rex. Ille nos reconciliat Deo, hic tutos reddit & seruat. Ille iustificat, hic saluat &c.

De quo nobis multa forent dicenda &c.

De sacerdotio Melchizedech, ex scripturis scripturam scientibus Hebræis locuturus, increpat grauiter eos, quòd qui iam diu audierant ex scripturis CHRISTVM, ut iam oporteret eos esse aliorum magistros, tamen adhuc ut pueri in infimis hærent, & maiora, quamuis in CHRISTVM credant (ut est quod instituit de CHRISTI sacerdotio) capere non possunt. Quæ increpatio etiam ad nostros uel imprimis attinet, qui admirantur, dum de CHRISTI sacerdotio secundum scripturas aliter loquimur, quàm ipsi hactenus somniarunt. Et tamen bis terue in die canunt & legunt: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum &c. Atque hac increpatione digreditur, & septimo capite reuertitur ad sacerdotium Melchizedech.

CAPVT VI.

Cum præcedentibus hæc cohærent.

RElinquamus ergo illa prima rudimenta, quibus primum paruuli in CHRISTO instituuntur, ut iam satis prædicata uobis & cognita, altiora & quæ sunt uirorum in fide Christi discamus, Ephes. quarto, si permiserit Deus.

Rudimenta sunt, docere, & respicere tantum in externa sacramenta, & quasdam etiam uoluntarias obseruantias, secundum ritum ab Apostolis obseruatum, ut erat impositio manuum, sine qua tamen potuit dari, & dabatur sæpe, & datur semper credentibus spiritus sanctus. Item docere, ut dicas: Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. Item docere, ut abstineas à fornicatione, detractione &c. Item docere, ut dicas orationem dominicam, qualia uel sola nostri, ubi optimi sunt, docent. Fidei uero perfectionem, & quàm diues sit in Deum, ut nesciunt, ita docere non poßunt. Quapropter errat populus cum eis, dum nunquam uere resipiscit, & semper in eodem luto hæret, tamen in anno semel fingit sibi pœnitentiam ab operibus mortuis. Iccirco errant, & Christiani non sunt, donec ipsorum Deus misertus, uiam salutis per Euangelium aperiat, ut discant, non in externis operibus pueriliter frustráque hærere, sed in solo Deo, per IESVM Christum sperare salutem. Tales prouocandi sunt ad meliora, sicut hic uides. Nam de illis qui uere cognouerunt Christum, & postea gratiam eius blasphemant, quæ est horrenda impietas, aliud iudicium audiemus.

Nam fieri non potest.

Quotidie

Quotidie, iugiterq; misericordiam Dei inuocamus, non solum propter tentationes nostras, sed etiam propter peccata nostra, ita iubēte Domino. Non ergo negabimus illam Christianam pœnitentiam, quam omnis Scriptura prædicat uerbis & exemplis, etiam si Angelus è cælis aliud Euangelizet, ut non sit tibi curæ in hoc autore, si non potes eum aliter intelligere, quàm quòd negat pœnitentiam. Nam uerbum diuinum habes, cui oportet cedat quodcunq; uerbum humanum. Mirum uero, cum omnia hic autor, quisquis fuerit, diligentissime probet ex sacris Scripturis, solum hanc sententiam, in qua uidetur negare ueniam lapsis, post primam ad Christum conuersionem, non probet. Sed unde probaret, cum in Scripturis omnino sint diuersa? nisi intelligas hæc de peccato in spiritum sanctum, sicut dicemus. Ipse tamen locus, de Christi sacerdotio, qui ex Scripturis hic dignißime tractatur, clare ostendit, non negari ab autore pœnitentiam & remißionem peccatorum illorum, in quæ fragilitas humana labitur, stante adhuc fundamento Christo. Alioqui, post primam remißionem, ociosum erit hoc Christi sacerdotium. Et ipse autor dicit: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ &c. Item capite septimo: Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad DEVM, semper uiuens, ad interpellandum pro nobis. Et capite nono: Vt appareat nunc uultui Dei pro nobis. Et capite duodecimo: Deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato. Certum est, talia non dici ad eos qui nondum sunt

 conuersi.

conuersi. Nam Christianis scribit ex Iudaismo cõuersis ad Christum, sicut clare dicit capite secundo: Fratres sancti uocationis cælestis participes &c. ut alia taceamus. Quapropter, cum non neget ueniam, idque clare ex Scripturis, & hic alibique in hac Epistola, sicut suprà indicauimus, uidetur negare ueniam, non addita Scriptura, & sic reddat nos incertos quid uelit, necesse est, ut hæc ex apertioribus Scripturis interpretemur, & si possumus, ex uerbis etiam ipsius autoris, sicut & faciendum est ubique in obscurioribus scripturæ locis.

Ioannes in sua Epistola duplex peccatum ponit, alterum non ad mortem, alterum ad mortem: pro illo uult orari, si frater peccauerit, pro hoc uero non. De illo quoq; sic dicit: Filioli mei, hæc scribo uobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Nonne illic Ioannes loquitur eadem cum hoc nostro autore, nisi quòd ille Aduocatum, hic Pontificem facit Christum, Paulus uno nomine dicit Mediatorem. Peccatum ad mortem Christus uocat blasphemiam in spiritum sanctum, quam non remittendam dicit in æternum Marci tertio: de quo peccato intelligenda sunt & quæ hic dicuntur, idque uidebimus in uerbis autoris, si prius indicauerimus, quódnam sit illud peccatum. Est autem, quando aperta Dei ueritas uidetur, ita ut uictus sis apud temetipsum in tuo corde & conscientia,

quòd

quòd res ita habet, & aliter eße nequit. Et tamen impie audes dicere, & contrà contendere, hoc non eße uerum, non eße à Deo, eße peruersum, eße à Diabolo, qua horrenda blasphemia non uereris gladium Domini contrà te stantis, quasi etiam tibi impune liceat pugnare uoluntarie contra Deum. Hæc ex Marci tertio ca. uides, ubi manifestum opus Dei tribuebant contra conscientiam, Beelzebub. Vnde postquam Euangelista scripsit uerba CHRISTI: Qui dixerit blasphemiam in spiritum sanctum, non remittetur ei in æternum, addidit: Quia dicebant: Spiritum immundum habet. Quòd si Christus hoc dixit de alijs qui impij erant, & suscipere ueritatem nolebant, sed manifestam, ut negari non poßet, impugnabant, quid accusamus hunc nostrum autorem, quòd condemnat illos, qui non externis uerbis, aut externis miraculis solum, sed intus in corde illuminati, gustauerint donum cæleste, accepto spiritu sancto, gustauerintque bonum Dei uerbum, ac uirtutes, & efficaciam regni Dei, & tamen ab his omnibus retrolabuntur, & blasphemant gratiam tanto spiritus testimonio agnitam? Id quod capite decimo uocat, uoluntarie peccare post ueritatē agnitam. Peccare uocat recedere à Christo, sicut incredulitatē dicit peccatū, si recte intuearis in cap. 3. & 4. Et Christus in Ioanne: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credit in me. Voluntarie autem addit, ne huius peccati reos faciat, si quibus forte contigerit, Deo deserente, quod Pe-

tro. Significat uero illos qui inter pios fatentur ea quæ uera eße sciunt, inter impios uero blasphemant, turpiter uiuunt cum alijs contra conscientiam, & sic dum suis rebus consulunt, & hominibus & Deo illudunt uolentes, ea spe, quod poßint pœnitere quoties uoluerint, sicut putant & errant, idquod est ab integro crucifigere filium Dei, & ludibrio habere, sicut hic dicitur. Nam, inquit, terra quæ sæpe combiberit imbrem uerbi Dei è cælis uenientē, Esa. 55. & creuerit ex fide in fidem, ferens fidei fructum et confeßionem, benedicitur à Deo. At quæ luserit operam, & pluentis Dei & operantium eam, nihil aliud ferens quam pro confeßione blasphemias, reproba est, & maledictioni, id est, huic horrendæ sententiæ proxima, ut exuratur. Vide quæso diligentißime uerba capitis decimi, ut uideas clare autorem sentire quod dixi. Sic ait: Nam si uolentes peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis, non ultrà pro peccatis reliqua est hostia. Nam Sacerdotem Christum, eiusq; sacrificium, quo in æternum sanctificat, negasti, blasphemasti cum impijs, & hoc uoluntarie. Non ergo iam habes hostiam, qua reconcilieris Deo, quia præter illam unicam nulla est hostia. In Christo uero si esses, ut maxime peccator eßes, iam hostiam haberes, & non poßes non eße dilectus deo propter Christum dilectum, propter hunc Pontificem, qui semper pro nobis aßistit uultui Patris, ut interpellet pro nobis. Non, inquit, est reliqua hostia, sed formidabilis &c. quia negasti & blasphemasti uoluntarie Saluatorem, non poteris eum habere alium quàm

iudicem. Et ait: Qui ignis deuoraturus est aduersarios, scilicet Christi & dei, & uel hinc accipe, de quibus dicat nempe de Euangelij & ueritatis Christianæ blasphematoribus, nō de illis qui sunt in Christo licet peccatoribus, quis enim est homo super terram & non peccet? Quin & quæ sequuntur satis aperta sunt in hanc sententiam, qui, inquit, filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti, quo pōtifex noster ingreßus est in sancta, ceu rem prophanam habuerit, per quem antea fuerat sanctificatus, id est, segregatus deo, & spiritum gratiæ contumelia affecerit, id est, blasphemauerit in spiritum sanctum, Horrenda sunt hæc. Viderint & caueant illi qui audent contra conscientiam uoluntarie quiduis, ea spe quod uolunt per quædam opera satisfacere, quæ est mera ueraq; dei illusio. Verum cum non ignorem quàm facile lædantur & in desperationem adigantur teneræ & infirmæ quorundam conscientiæ. Dico, quod qui ex corde reuertitur ad deum, certum testimonium habet quod nunquā, deo seruante, huic sententiæ fuerit obnoxius etiam ubi potuit uideri incidiße. Nam qui inciderint nunquam resipiscere poterunt. Excæcabuntur enim uel aperta malicia uel ficta iustitia, sicut uidemus Iudæos perijße &c.

Cæterum &c.

Mitigat comminationem & reprehensionem, ne ex prædictis interpretentur sese damnari, sed intelligant se commoneri ne securi abijciant Christum.

Non enim iniustus &c.

Vide ne meritum humanum hinc confirmes. Nam clare additur, Operis & laboris ex charitate suscepti. Vides itaq; opera esse fidei &c. & rursum: Quam charitatem exhibuistis erga nomen illius. Significat autem opera testari de fide interna.

Ad plenam spei certitudinem.

Nota diligenter opera nostra bona non solum esse alijs testimonia fidei nostræ, sed etiam nobis, ex illis enim certificamur nos habere fidem & spem donec perfecta fiducia discamus in deum sperare. Vide hæc in. 2. epist. Petri cap. 1. Hæc cum uobis aßint et exuberent &c. Operam date ut uocationem & electionem uestram firmam efficiatis &c.

Deus enim polliciust &c.

Quia monuerat ut per fidem ac crucem, quæ sese comitantur, hæreditatem accipiamus promissionis, id est, Euangelij etiam patriarchis promissi, non solum nobis, occasione accepta de promißionibus dei dicit, etiam iuramento confirmatis, ut nō dubitemus nos accepturos &c.

Duæ res immutabiles in deo, Promißio & iuramentum. Non potest seipsum negare qui ueritas est.

Et introeuntem.

Id est, nos ducentem in regnum dei æternum. Alludit ad ingreßum pontificis intra uelum, de quo infrà.

CAPVT II.

Post digreßionem tam longam reuertitur ad sacerdotium Melchizedec, de quo legis Gen. 14. secundũ cuius ordinem Christus in psalmo iuramento dei promittitur futurus Pontifex siue sacerdos in æternum. Præfert uero hic autor miris argumentis sacerdotium Melchizedech, sacerdotio legis siue Leuitico quod erat secundum ordinem Aaron, & recte figuram quam indicat spiritußanctus in psalmo adaptat Christo, secundum nomen, officiũ, dignitatẽ & uitam, atq; hæc ex historia, quæ historia ita curãte spirituſancto in figuram Christi descripta est, ut neque initium neque finem habuisse uideatur Melchizedech, cum tamen nemo dubitet hominem fuisse mortalem.

Qui primum &c.

Hactenus historia, nunc indicat ex historia figuram, & ex figura Christum.

Rex iustitiæ.

Christus non solum iustus dicitur, sed & rex iustitiæ ut ad eius regnum spectet iustitia. Est enim per quem iustificantur omnes credentes. Nam si rex est iustitiæ, ergo & regnum eius est regnum iustitiæ. Sicut contrà regnũ principis mundi, est regnum iniquitatis.

Rex pacis.

Quia pax conscientiarum sequitur statim iustificationem, & tantum sequitur, quantum credere potes. Vides ergo quæ sint in regno Christi, nempe, gratia et pax. Mirum uero quod sacerdotem descripturus etiam regem facit.

gem facit. Verum sic etiam ordinauerat olim deus antequam reges fierent in Israël, ut regnum cum sacerdotio esset iunctum, & tametsi iudices erant tamen sacerdotio etiam ipsi iudices obtemperabant. Hinc est, quod irascitur deus dum postulant regem sub Samuele. Vtraque unctio illa externa & regis & sacerdotis in Christo completa est.

Ignoti patris.

Quia in scriptura talia non scribuntur, ut figura plenius repraesentaret Christi diuinitatem & aeternitatem.

Manet.

Quia non legitur mortuus, Nec legitur eius sacerdotium institutum nec abrogatum, & tamen erat sacerdos dei altißimi & rex Salem.

Considerate &c.

Abraham dedit decimas Melchizedecho ex omnibus spolijs, ergo Abraham agnouit eum se superiorem etiam iure diuino, & sacerdotem eum dei agnouit, quia et post solis sacerdotibus dabantur decimae nomine dei. Et ante legem decimae leguntur datae, sed deo. Sicut dixit Iacob, Decimas & hostias pacificas offeram tibi.

Item, Melchizedech benedixit Abrahae ut sacerdos dei, sicut habet historia. Ergo & Melchizedech suo officio agnouit se Abrahamo superiorem.

Ex his sequitur, Si princeps generis & cui deus promiserat benedictionem, quo patre gloriantur omnes Iudaei est inferior Melchizedecho, ergo & totum genus

Abrahæ secundum carnem usq; ad Christum est inferius Melchizedecho. Ergo ne Leui quidem excipitur, ne sit inferior cui sacerdotium debetur secundum legem, qui quã uis non natura aut merito sit fratribus suis maior, tamen maior est secundum Dei legem, & secundum legem accipit decimas à fratribus, ut minoribus. Et præterea Leui, quia adhuc egreßurus erat ex lumbis Abrahæ, & in carne Abrahæ iam erat quando Abraham dedit decimas & benedicebatur à Melchisedech, decimatus est, & benedictus à Melchisedech in Abraham, qui tamen secundum legem ius habebat accipiendi decimas & benedicendi populo. His omnibus, uides dignitatem Melchisedech & Abrahæ & toti generi præferri, & sacerdotium Leuiticum longe eße inferius, & præterea quia hoc sacerdotium erat in mortalibus hominibus, significabatur quandoq; moriturum & abolendũ. Melchisedech mortuus non legitur, nec sacerdotium eius est abrogatũ. Ante Melchisedech non erat hoc sacerdotium, nec post Melchisedec aliud pro eo subrogatum est, sed solus fuit sacerdos & manet in æternum. In quo uidemus Christum solum esse sacerdotem & æternum.

Proinde &c.

Imperfectum fuiße sacerdotium Leuiticum declarat, cui neceße erat æternum substitui in filio Dei sacerdotium, quod secundum legem non potest esse sacerdotium. Nam ex Iuda est Christus, non ex Leui. Et ex Iuda nemo potuit esse sacerdos secundum legem. Et præterea æternus

nus sacerdos scribebatur futurus, quales sacerdotes lex non potuit instituere. Et ex hoc sequitur: Si abrogatum est sacerdotium carnale, ergo abrogata est, & lex carnalis per illud sacerdotium accepta. Si carnale & temporarium sacerdotium mutatum est in spirituale et æternum, ergo & carnalis & temporaria lex, mutata est in spiritualem & æternam. Declarabat & sacerdotium illud, illaq; lex suam imperfectionem, quia necesse erat alios subinde alijs subrogare sacerdotes, quia moriebantur, & opera legis subinde repetere, & sacrificia annua iterare, imò quotidiana, quia neminem ad perfectũ deduxit lex, alioqui cessaßent sacrificari, quemadmodum infrà dicitur ca. 10. Iccirco dominus deus illud sacerdotium instituit quidem, sed non cum iureiurando, quia erat rursum hoc aboliturus, cum omnibus quæ ad illud pertinent. Christi uero sacerdotium instituit cum iureiurando, quia æternum est, & ne mutari quidem potest. Illi sacerdotes in figuram sæpe carnalibus hostijs sanctificabant populum. Hic unica oblatione semel in cruce oblata uere & in æternum sanctificauit populum suum, id est, credentes. Quando quæso perfectos redderent ipsi peccatores & mortales? Iesus autem & absq; peccato, & immortalis, coram Deo pontifex semel ab omni peccato sanctificat, & donat spiritum qui est lex uitæ in cordibus nostris in æternum. Lex tunc mandabat tantum et damnabat, iccirco intolerabilis erat. Nunc spiritus Christi in credentib. facit ea quæ legis sunt, non mandato, sed uoluntate, &

tantum

tantum abest ut spiritualis homo de lege queratur, ut grauia sint omnia, quæcunque contra legem Dei in se adhuc propter uetustatem carnis senserit, quæ, quanquam coram Deo peccata sunt, tamen non imputãtur propter spiritum repugnantem ac damnantem, & propter nostrum sacerdotem iugiter interpellantem. Hanc legis abrogationem solum intelligunt qui spiritum Dei habent, sicut dicit Paulus: ubi spiritus domini ibi libertas. Reliqui omnes adhuc sunt sub lege & damnatione, qua de re uide locos Philippi.

Sacerdotium, lex, sacrificia, templum, altare, sanctificatio, unctio, omnia sunt facta in Christo spiritualia, non amplius sunt externa. Nam sacerdotium Christi est in cœlis coram patre non super terram, ut infrà capite octauo. sicut nec regnum eius est ex hoc mũdo &c.

CAPVT VIII.

Caput, id est, summa summarum.

AD figuram pontificis legis, Christum producit ex prædictis pontificem regnantem & administratorem in sanctis sanctorum, & tabernaculo non manu factis, habentem sacrificium æternum semel oblatum, sicut in sequentibus uidebimus. Deus iam non habitat in templis manufactis, sed regnum cœlorum etiam in terris, regnum inuisibile, regnum æternum per Christum sacerdotem, & regem inuisibiliter

in spiritu

in ſpiritu non huius mundi elementis adminiſtrat. Hæc *ſunt tabernacula* Dei, *tabernacula fiducia et ſecuritatis, tabernacula æterna, de quibus ſæpe in pſalmis & in prophetis canitur.*

Si eſſet in terra.

Id eſt, terrenus ſacerdos & in externis rebus ageret, iam ne ſacerdos quidem eſſet, quia non eſt ex Leui, *ergo non poßet ſacrificia ſecundum legem offerre, quæ pro tempore obtulerunt illi ſacerdotes, per quæ ſeruierunt non ueris rebus, ſed tantum umbræ, exemplari et figuris cœleſtium, id eſt, ſpiritualium rerum, quarum Chriſtus eſt pontifex, & adminiſtrator, ſicut* Moiſi *oſtenſum eſt,* Exo. 25. *qni uidit ſpirituale tabernaculum, cuius figuram ædificauit donec quod ſpirituale eſt proderetur orbi, uerbum* Euangelicum.

Nunc uero &c.

Chriſti ſacerdotium longe dignius eſt ueteri, nam hoc intercedebat figuris ad Deum *pro hominibus ſub ueteri teſtamento, illud uero intercedit ipſa ueritate, id eſt, per ipſũ Chriſtũ, et eius iam inuiſibile æternumq; ſacrificium ſub nouo teſtamento,* Vetus *quod habuerunt illi ſacerdotes non potuit ſeruari ab hominibus, tantum abfuit ut iuſtificaret.* Nouum *dat ſpiritum iuſtificantem qui manet nobiſcum in æternum.* Illud *in tabulis ſaxeis erat ſcriptum, & litera erat.* Hoc *in cordibus ſcribitur & ſpiritus eſt, & uita.* Id *quod oſtendit ex* Hieremia.

CAPVT IX.

DE his lege in Exodo capite. 25. & sequentia. Tabernaculum Dei, quod fecerat Moises, erat diuisum. Primum introitum tabernaculi uocat hic, primum uelum, nam dicit post secundum uelum fuisse sancta sanctorum, cum prior pars tabernaculi dicta sit tantum sanctum, uel in plurali, sancta. Quàm ergo hic autor non multum conuersatus sit in iudaicis rebus, ita ut non uideatur fuiße Hebræus, hinc patet, quòd in sanctis sanctorum ponit thuribulum aureum, cum plura thuribula aurea fuisse legantur. sed non in sanctissanctorum, in quæ cum thuribulo aureo semel in anno ingrediebatur pontifex: item quòd in sanctissanctorum quoque ponit urnam auream cum manna, & uirgam Aaron, quæ aßeruata leguntur in tabernaculo, ut essent memorialia perpetua populi coram Domino, quid populum monuissent, si in sanctissanctorum fuissent, in quæ nec ingredi, nec introspicere licebat? De manna legis Exo. 16. de uirga Aaron Nume. 17. Sed neque hoc leges, quòd urna aurea cum manna & uirga Aaron fuerint in arca, imò diuersum leges, quandoquidem Moises iussu Domini nihil imposuit in arcam, nisi tabulas lapideas, Exo. 25. & 40. & aperte sic dicitur 3. Regum. 8. in arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eam Moises &c. Verum hic nihil est periculi, dum autor de his se superseßurum dicit. Tra

ctat uero sanctissime, quid duo tabernacula significarint aut unum in duo diuisum.

Tabernaculum, in quo Deus habitat inter homines, (sicut in lege dicitur, & postea ad Salomonem & deniq; per Hieremiam) sunt ipsa corda hominum, sicut dicit Paulus: Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Sed duplex tabernaculum tunc ædificatum est, siue duplex pars unius tabernaculi, alterum patens, & aspectibus humanis expositum, in quod ingrediebantur sacerdotes quotidie, in figuram ueteris Legis, ueteris sacerdotij & illius populi, quando Dei cultus erat in elementis huius mundi, & uisibilibus rebus, tamen secundum Dei uerbum in figuram futurorum: iccirco quæ illic erant uisibilia, significabant inuisibilia: lucernæ lumen uerbi Dei: mensa sacra scriptura: panes cibus uerbi: thuribula aurea, orationes & desideria piorum: manna uerbum Dei: in urna aurea, id est, in corde perfecto & optimo: uirga Aaron electio à Deo ad docendi officium, quam sequuntur uiriditas mentis, folia eloquentiæ, & fructus suauissimi in doctore & audientibus: Ista ex scripturis sic interpretari non fuerit difficile. Alterum uero in tenebris agebat ab hominum aspectibus remotum, in quod nemo ingrediebatur, nisi põtifex summus semel in anno, quando expianda erant peccata totius populi, Leui. 16. in figuram sacerdotij Christi, per quem solum datur nobis accessus ad patrem, & expiamur à peccatis in sanguine eius semel oblato, unde quæ tunc ab aspectu illius populi erant abscondita, iã sunt

reuelata

reuelata per Euangelium, quemadmodum dixit Christus. Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere & audire, quæ uos &c. Est autem regnum cœlorum, non habens iustitias carnis, non seruiens Deo in elementis huius mundi, sed adorans deum in spiritu et ueritate. Iccirco hic omnia erant abscondita, licet in figura, quæ foris in uisibilibus rebus significabantur. Hic enim erat arca Domini, id est, Dei mansio, in qua tabulæ legis, quas iam carnalibus oculis uidere non licebat, aßeruabantur, quæ significabant legem dei scriptam in abscondito cordis secundum prophetiam Hieremiæ suprà, non iam litera, sed spiritus. Atq; hic quoq; mire prælusum est, & dum priores tabulæ factæ sunt à Moise, secundæ postquam lectæ sunt, postquam satis litera fuerunt, asseruatæ sunt in arca, ubi dominus habitat, ut significaretur Lex Dei spiritualis in cordibus abscondita per Christi spiritum. Hæc arca est ecclesia Dei uiuentis non aurea, ne sibi aliquid arroget, sed aurata, id est, diuino fulgore & Dei diuitijs illustris intus & foris, quæ corona aurea, id est, Christi regia dignitate & sacerdotio æterno illustris est, & ipsa ex lignis est imputribilibus, quia spiritu Christi uegetata, corrumpi non potest in æternum. Propiciatorium uero, quo tegitur arca, ex auro est mundißimo, nam Christum propiciatorem significat, Roman. 3. & Hebr. 4. quo reconciliamur Deo. Cherubim quoque ex auro sunt, quia Dei uerbum significant in duobus testamentis, in se aurum est diuinum, nobis per ministerium argentum electum, argentum prædicatio-

ne, aurum & lapides preciosi fide. Cherubim uersis ad se uultibus respiciunt in propiciatorium, nam duo testamenta in Christum consentiunt. Cum uero omnia habeant figuram, solus Deus figuram non habet, sed tantum in suo uerbo cognosci uult per fidem. Nam promittit se habitaturum in tabernaculo, sicut & postea in templo, et sessurum inter Cherubim super propiciatorium, illicq; se exauditurum inuocantes, id quod nulla figura uidebatur, sed tantum credebatur. Iccirco enim omnia externa illa data sunt, ut crederetur illic Deus adesse, ubi omnia secundum Dei uerbum fiebant, sicut fit & in nostris sacramentis. Praeterea diligenter intuere, q cum omnia agerentur secundum legem in parte tabernaculi priori, tamen in inuisibili, id est, sanctissanctorum quaerebatur, inuocabatur & exaudiebat Deus, nam patres non operibus legis, sed eadem fide, qua nos, salui facti sunt: respexerunt enim in gratiam orbi quandoq; manifestandam, qui hanc fidē uerbi Dei non respexerunt, hypocritae per opera legis facti sunt, quod solius Dei est, tribuentes operibus, id est, iustificationem: Item, intuere, q quando expiatio totius populi fiebat semel in anno per pontificem summum ingressum per sanguinem & thymiama orationis in sancta sanctorum, in figuram expiationis per Christum semel factae, quando introiuit per sanguinem in sancta non manufacta id est, carni inuisibilia, omnis populus iubebatur extra tabernaculum cum sacerdotibus, qui quotidie solebant in templo sacrificare, foris stare. Nam ad hanc expiationem nemo

nemo admittitur, nisi Christus: hominum studia, merita, arbitria hic nihil sunt, sacerdotes enim legis, qui alios solebant sanctificare, & populus uniuersus, & omnia sacra eorum hic per summum pontificem expiantur.

Viam sanctorum.

Id est, ad sancta.

Pro ignorantijs.

Quia adhuc alia restabant, quæ nondum erant publicata à Deo, nondum enim erat tempus, quãdo adhuc in nocte & figurarum tenebris ducebatur ille populus, sed tamen secundum uerbum Dei, quod eos saluabat per gratiam, quã nondum uidebant, sed expectabant cũ fideli Abrahã.

Iuxta conscientiam.

Nam hoc nulla opera possunt &c.

Futurorum bonorum.

Id est, inuisibilium & æternorum, sicut in Esa. dicitur pater futuri sæculi, & suprà hic autor dixit: Orbem terræ futurum.

Non manu

Factum ut illud, sed spirituale.

Semel.

Quia redemptio est æterna. Olim erat temporalis expiatio, ergo repetebatur singulis annis, semel tamen fiebat in figuram expiationis Christi semel factæ. Repetitio indicabat imperfectionem, Christi autem sacrificium quia semel absoluit omnia, & perfectum est, ergo repeti non potest, alioqui qui à primo peccato mundi usque ad

ultimum peccatum mundi est expiator, necessario sæpe mortuus fuisset ab initio mundi, sicut infrà dicitur. Viderint qui Christum quotidie sacrificare uolunt in sacramẽto altaris, ubi non sacrificium nobis commisit, idest, Christi occisionem, sed co mmemorationem illius sacrificij semel per ipsum Christum facti, quotiens ederimus nos ipsi & biberimus eius corpus & sanguinem, non quoties hoc alijs commiserimus, ut stulte hodie erramus. Tamẽ institutio Christi in hoc sacramẽto est in hanc rem clara, quid ludibrio exponimus, quæ Christus instituit?

De cinere uitulæ rufæ.

Nume. 19 ubi quoq; legis expiationem carnalem ab immundicia mere carnali, sicut alibi expiationem per sanguinem hircorum & uitulorum.

De testamento clarum est, q̃ in morte testatoris confirmatur, illic morte brutorum confirmabatur uetus & carnale, uerum æternum esse non potuit ut nouum, quo condito mortuus est testator, qui sanguine suo hoc confirmauit &c.

Exo. 24. Sanguine hircorum & uitulorum expiatur Lex & populus Legis &c.

Et quatenus &c.

Similitudine ostendit Christi mortem expiare indesinenter credentes usque ad iudicium. Primo, uenit ad nos cum peccatis nostris, quæ portauit. Secundo, ueniet absque peccato in gloria omnibus, qui diligunt aduentum eius.

CAPVT X.

IMperfectionem Legis declarat, ut suprà, quando umbra tantum erat futurarum rerum, non ipsæ res corā uidebantur &c.

Quod nullam &c.

Ergo iam Christiani nullam habent conscientiam peccatorum? Vere sic est, sed beatus qui intelligit. Iustificati per fidem pacem habemus, ait Paulus, qui semper gratiā, & pacem coniungit in suis epistolis. Multum est scire, q̃ nostra merita & iustitiæ nos non saluant, sed quando sciemus tandem, q̃ nostra peccata nos non damnant? hæc esset & est Christiana libertas, libertas conscientiarum, quam impossibile est ut norint, qui ex hac prædicatione apud semetipsos concludunt, q̃ iā libere peccare possint, id quod non ex his inferrent in contumeliam liberatoris Christi, si uel micam fidei haberent, imò obstupescerent præ ammiratione ad tantam benigni patris in filios, id est credentes liberalitatem & amorem. Non ignorant Christiani, si in se respiciunt, se esse peccatores & damnatos, suam enim non habēt in se iustitiam, sed fide respiciunt in Christū, qui factus est nobis à deo iustitia, sapiētia, sanctificatio, satisfactio &c. Hic euanescunt omnia peccata, etiam ab ipsa hominis conscientia, modo fides recta sit quæ Christi iustitiam imperfectam iudicare nō potest. Hic oīa sunt possibilia credenti. Nihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem

ambulant, qui semper ex fide desiderantes, dicunt: Pater dimitte nobis debita &c. Iustitiæ uero operum hanc libertatem nunquam consequi possunt, ut aliàs diximus. Hic facimus uoluntatem Dei credentes in eum, quem ille misit, postq̃ reiecta sunt legis sacrificia (ut hic ex psalmo 39. ostendit) qua uoluntate sola sanctificamur per satisfactionem corporis Christi semel oblati, et sanctificamur in æternum, ut conscientiam peccati non habeamus, donec illa oblatio nostra est, est autem nostra, donec credimus eam esse perfectam pro totius mundi ab initio peccatis. Hoc est quod in Hieremia dicit: Peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Porrò (concludit autor) ubi peccatorum est remissio, non est amplius oblatio pro peccato, ubi est ergo satisfactio illa papistica? Atq; ad hoc spectant omnia, quæ sequuntur. Cum igitur fratres &c. quæ etiam declarant, nos esse sacerdotes & pontifices in Christo.

Redeant &c.

Mitigat, ut suprà cap. 6. monens, ne decidant à proposita spe, propter quam multa passi sunt.

Volutatem Dei.

De qua suprà diximus. Nam & hic dicit, q̃ fiducia habet magnam præmij retributionem, non dicit opera legis, aut opera bona, quæ sunt signa & fructus fidei: fidei uero crux adiuncta est. Ideo ait: Patientia uobis opus est.

Adhuc pusillum. Et hæc satis aperte declarant, q̃ de defectione fidei suprà dixerit.

Sola

Sola fide nos saluari, exemplis declarat dignißime. Ergo qui fidem non habent, aut à fide deficiunt, saluari non possunt.

CAPVT XI.

Vide in locis Phil.

ORauit ad sceptri illius.

Id est, Ioseph.

Summitatem.

Hieronymus legit, Adorauit Israél Dominum conuersus ad lectuli caput.

Probrum Christi:

Vides in patribus fuiße ut fidem Christi, ita & crucē etc.

Oberrarunt.

Vt Helias, & cen. prophetæ, quos Abdias occultauit. 3. Regum. 18.

Ne sine nobis consummarentur.

Eadem Christi oblatione & nos & illi sanctificamur, & eundem diem retributionis simul expectamus.

CAPVT XII.

QVia uidemus, quotquot saluati sunt, fide saluatos, deponamus & nos per fidem omne onus consciētiæ, & semper oppugnantis nos peccati, & per

tolerantiam curramus ad propositum brauium, non eligentes nobis modum & uiam, sed solum respiciētes in modum, uiam & doctrinam gymnasiarchæ & agonothetæ nostri Christi, id est, sola fide sequamur cū, qui dux noster est in stadio, quo currimus, quocunq; & quacunque ratione duxerit, sicut secuti sunt ueteres, de quibus suprà dictum. Atq; hæc est crux, quæ fidei comes est, ut hic elegantißime describitur. Hic nihil Christo duce aberrabis, dum non facis uias tuas, ut Esaias dicit. Est enim dux fidei, id est, initium & progressio omnis nostri boni: est & consummator omnis nostræ salutis, ut cognoscas nihil relinqui nostris uiribus &c. Quapropter monet diligenter hic autor, ne deficiant propter temporales afflictiones à fide & Christiana uita, quam fides secum affert, ut uel ex hoc uno loco uideas, quo tota spectet epistola.

Esau.

Pœnitentia Esau & eiulatus proprie est pœnitentia impiorum, quæ coram Deo non est pœnitentia Siquidem dolent damnum rerum & animi angustiam, in quam sentientes iam Dei iudicium inciderunt, à qua angustia si possent liberari, in æternum Deum contemnerent. Id quod historia aperte declarat, qui enim sic coram patre fleuerat eiulatu magno abijt, & solo cōtemptu patris duxit patri inuisam uxorē tertiā. Sic & Cain uolebat abesse tremorē, in quem inciderat, sed ueniam delicti rogare non potuit ex animo. Sic Saul in angustia deprehensus, non deprecatus est, ut remitteretur contemptus dei, qui tamen angustiam

uoluisset

uoluißet abesse, & cum aliud non uideret remedium, gladio uitam abrupit, sicut Iudas laqueo, quis non uidet tunc Iudam doluiße de facto, quia iudicio dei intus angebatur, qui tamen peccati ueniam rogare non potuit? Ista horrenda exempla perterreant illos qui pœnitentiam putant eße in manu sua quotiens uoluerint, quasi fides qua sola liberamur sit iustitia humana & non potius dei. Nota est pœnitentia Pharaonis, qui quoties flagellabatur à deo, postulabat ut rogaretur pro liberatione. Sic & dæmones uellent liberari qui tamen delicti ueniam rogare non possunt. Sic & fatuæ uirgines uellent quidem intrare ad nuptias, sed fatuitatis suæ, id est, infidelitatis, quemadmodum est in psal. 13. ueniam non rogant, quin ut alibi scribitur, nihil aliud norunt quàm sua merita sanctæ uirgines sine oleo, speciosi illi hypocritæ. Domine, inquiunt, nonne in nomine tuo prophetauimus &c.

Non enim accessistis.

Comparat ea quæ facta sunt in confirmatione ueteris legis satis horrenda, cum gratia quæ fit nobis in confirmatione regni cælorum inuisibilis quando credimus, ut inferat idem quod sæpe ante. Si terrena quæ tunc uidebantur quamuis dei erant & è cælis contemni impune non potuerunt, quanto magis hæc quæ non sunt huius mundi nõ possunt impune contemni?

Adhuc semel &c.

Hoc impletum est quando magna orbis cõmotione prædicatus est Christus Iudæis & gentibus, quam commotionem

tionem adhuc uidemus donec penitus pereat huius mundi figura & regnum omne detur populo sanctorum secundum Danielis prophetiam. Cultum illum dei externum necesse fuit quandoq; perire, nam erat in elementis huius mundi quæ pereunt. Regnum uero quod in solo spiritu est perire non poterit &c.

CAPVT XIII.

Paræneses Christianissimas in hoc cap. scribit.

ALtare inuisibile est Christus qui idem suprà pontifex est, nullam oblationem suscipit deus nisi in hoc altari, id est, per Christum, quemadmodum Petrus dicit epist. 1. cap. 2. Nullæ preces suscipiuntur, nihil recipimus à deo nisi in hoc altari. Si quid, inquit, petieritis patrem in nomine meo dabit uobis &c. Et ne hic somnies aliud altare, quanquam & ipsa uerba clara sint, non hic dici de lapidibus unctis sed de altari quod aliud est quàm legis illud ueteris, autor se infrà exponit, dicẽs: Per ipsum igitur &c. Sed neq; de sacramento eucharistiæ hic dici clarum est cum de manducatione loquitur ex altari, quando Christiani præter Christum aliud altare non habent. Ad uenerandum illud corporis Christi sacramentum sumendum non opus est altari, nisi illis qui sacrificium ex testamento Christi fecerunt. Externum sacramentum est & externis tractatur manibus in externo aliquo

no aliquo

no aliquo loco, ad quod nihil retulerit ſiue lignea ſit ſiue lapidea menſa, niſi dicas Chriſtum peccaſſe qui in lignea menſa creditur cœnaſſe, aut peccatum eſſe quando morituris datur ſacramentum in ſuis ædibus &c. Aduerte uero diligenter quod dicit, ex hoc altari non eſſe fas ut edant qui tabernaculo deſeruiunt. In lege qui ſeruiebant altari uiuebant de altari, ſicut & Paulus citat. 1. Corin. 9. ſimile adducens ut oſtendat miniſtris uerbi licere uiuere ex ſumptu auditorum. Edebant illi ex carnibus & panibus oblatis. Ex hoc autem altari Chriſto nemini licet edere imò nemo poteſt edere qui tabernaculo Moſi deſeruit, id eſt, qui cultum dei in rebus externis huius mundi deputat, qui per iuſtitias et opera legis quærit ſalutem, multo minus qui per opera traditionum humanarum, quod ut intelligas, uide ea quæ ſcribuntur Ioan. 6. Hoc eſt opus dei &c. Id quod hic aptiſſima figura & nō aliò ſpectante autor oſtendit ex Num. 19. Nam dum Chriſtus introiuit in ſancta inuiſibilia per proprium ſanguinem, uoluit corpus ſuum extra ciuitatem incendi deo in cruce, in holocauſtum ſuauiſſimum quidem deo ſed tamen ignominioſum mundo, ſicut tunc corpora animantium immolatorum pro peccato, per quorum ſanguinem introiuit Pontifex in ſancta, non cremebantur cum gloria in altari legis, ſed cum ignominia eijciebantur extra caſtra & cremabantur, ita ut etiam crematores immundos redderēt, quia adhuc figura erat. Exeamus

mus igitur, inquit, cum IESV *extra elementa huius mundi, ignominiam mundi ferentes, dum interim gloriosi sunt mundo hypocritæ & iustitiarij secundum mundi elementa, ut tandem toti huic mundo cum Christo moriamur &c.*

FINIS.

ARGENTORATI KNOBLOCHVS
EXCVDEBAT MENSE
IVLIO, ANNO
M. D. XXV.